



Stockflethe!



1. Ant. Pauli. Diff. de genuino  
principio actionum humanaarum  
Halo 1706
2. Buddei. Joh. franc. Diff. De  
exaltatione dolorosa salvatoris  
nostrri jca 1707.
3. Carpovij pauli theod. animadver.  
conf. 129. siues philologico = Critico = Sacre  
Carpovij. iacq. jpsib 1711.
4. ejusdem. Physiologia saceratissima.  
conf. 39. franc. 1740.
5. Gut Bier. Joh. tobias. Diff. de  
progreffe controversia circa  
hereticos rebaptizandos.  
Lipsie 1649

6. Butbier f. ioh. Tobie f. diff. de origine  
controversie circa hereticos re-  
baptizandos, Lipsie 1689.
7. Oporini f. ioh. f. diff. de usu Docto  
simplicitatis contra scepticos.  
gottinge 1739.
8. Oenipontus f. ioh. f. diff. Christianismo  
Graecorum holdi et num., Rostock 1665.
9. Baumgarten f. ioh. g. f. diff. de  
Scriptura Sacra. Halle 1739.
10. Stucky f. ioh. Willh f. ~~predicatione purae~~  
~~predicatione purae~~  
de anno 1588. Tycuti 1588.
11. Uelitsch f. ioh. f. iur. f. diff. Epistola  
ad fam. Lan. Altona 1740.
12. Hahn f. ioh. frid. f. vor uff der  
ausst. f. d. Dr. Gottfr. Brügelius magd 1739.
13. Franck f. goth. Aug. f. zedastus  
vnd. st. Cleri. Halle 1729.
14. Mentz v. f. Balke f. seu forbanius  
vndr. Haanover 1740.  
conf. 49
15. Reinber f. ioh. Just. f. Christi vndein  
an die u. fr. Berlin 1759.

16. Reinbeo f. Joh. Gust / und jetzt vom  
conf. 29. Zirkande der wissenschaft auf  
der Leid, Berlin 1740.

17. eisdem, vom F. f. Z. der gottl.   
conf. 19. aufsatz unter den wissenschaften,  
Berlin 1740.

18 eisdem die näffige präiffnung  
conf. 19. der zirkus, Berlin 1740.

19. Androff f. Theophil f. franz. h. h. j. b.  
und es gaudißkunst der  
akademischen Preiss. 1740

20 Schubert f. Theophil vom  
franz. und amüs.

21 eisdem zwey gaudißion vom  
franz. der form 1739

2. D. B. V.  
EXERCITATIO THEOLOGICO-MORALIS EXEGETICA  
de  
**GENVINO**  
**PRINCIPIO**  
**ACTIONVM CHRI-**  
**STIANARVM**

Occasione Dicti Paulini ad Col. III, v. 17.

Q V A M

IN REGIA FRIDERICIANA ACADEMIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, SERENISSIMO  
PRINCIPE AC DOMINO

**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
CETERA, DVCATVS MAGDEBVRGICI GV.  
BERNATORE,

P R A E S I D E

**PAVLO ANTONIO,**  
THEOL. DOCT. PROF. PVBL. ORD. ET CONSIST.  
REG. IN DVC. MAGDEB. CONSIL.  
FACVLTATIS SVAE h.t. DECANO

Præceptore suo æternum venerando.  
placido, Eruditorum examini sifit

A. & R.

**IOHANNES CHRISTIANVS BARTH,** Hall. Magd.

SS. Th. C.

A. D. **XXX.** Iulii. MDCCVI.

H. L. 2. C.

55

HALAE MAGDEBVRGICAE  
Litteris C.H. HENCKELII. Acad. Tvnöer.



REVERENDISSIMIS, PER - ILLVSTRIBVS  
ATQVE GENEROSISSIMIS  
DOMINIS,  
**DECANO,**  
**SENIORI,**  
CAETERISQUE  
**CAPITVLARIBVS,**  
METROPOLITANAEC ECCLE-  
SIAE MAGDEBURGENSIS,

*Dominis suis gratosissimis, deuotissimæ  
mentis obseruantia atque obsequio æ-  
ternum venerandis.*

REVERENDISSIMI, PER ILLV-  
STRES, ATQVE GENEROSISSI-  
MI DOMINI,  
DOMINI GRATIOSISSIMI,



Ngens omnino in optimas artes,  
earumque Cultores, maxime sacra-  
rum literarum, ac tanta vsque fuit,  
& adhuc est VESTRA Benignitas  
ac Beneficentia, vt dignis laudum  
encomiis vix celebrari posse vi-  
deatur.

VOBIS enim semper maxime curæ cordi-  
que fuit bene merendi de re publica, & de iuuentu-  
te, quæ in illa Deo & proximo aliquando inferuire  
eruditio[n]is ac doctrinæ studiis sese præparat, vt co-  
natus illius in eundem illum finem, in maius melius-

]:[ 2

que

que omni modo promoueantur. Hanc Benignitatem  
VESTRAM longe maximam non aliorum tantum  
laudationibus, quibus benignissime à VOBIS factum  
est, sed per me quoque cognitam habeo atque per-  
spectam: siquidem VESTRIS Beneficiis mihi eti-  
am per triennium frui licuit. Quam Beneficentiam,  
vti gratissima mente ac tacita tantum Veneratione  
colui, sic nihil magis optauit, quam vt aliquando publi-  
ce etiam aliquali saltē documento memorem gra-  
tumque animum declarare possem. Cuius rei cum  
non tam ex consuetudine Academica copia iam mi-  
hi facta sit, quam ex Colloquio quorundam Amico-  
rum ad Disputationem Theologicam conscribendam  
inuitum quadantenus suasionibus suis me excitanti-  
um, mox in id negotii quodammodo propensiorem  
factum, iterum iterumque exstimulantium: occasio-  
nem hanc minime prætermittendam esse existimauit,  
præsertim cum diuinæ Prouidentiæ ductum circa  
illam perspicue animaduerterim. Obuersaban-  
tur animo illa ex Thoma de Kempis recen-  
sita pacis in mente hominis Christiani conseruan-  
dæ impedimenta, de quibus grauissime admonet,  
*ne quis rebus, sibi non commissis, se se*  
*implicet*, cum fieri posit, vt illis haud raro  
valde turbetur. Ad hæc non parum impen-  
dii in eam rem faciendum esse videbatur. At  
ve

Lib. III. c.  
XXV. de  
Imitat.  
Cbrisbi.

verò cum aliquoties Amici illi instarent, eorumque consiliis, vel iussis potius refragari non liceret, ac de impensis alicunde diuina ope prospiciendis securum redderent, mihi persuaderi passus sum. Prius tamen diuino Numini precibus supplicem me exhibui, quam opus illud fusciperem, ut de Voluntate eius fierem certior, & in proposito magis confirmarer. Quo facto sollicitus esse cœpi de materia quadam, præ aliis maxime vtili, ac præcipue digna, in quam Dissertationis meæ opera ac studium collocaretur. Obtulit ergo sese diu multumque cogitanti officium hominis Christiani, in eo consistens, ut Christum, quantum per Dei gratiam & vires à Spiritu Sancto concessas, in hac infirmitate fieri potest, apud se, aliosque extollendo magnifaciat; eoque ipso glorificetur. Et quoniam hæc omnia per occasio-  
nem non quæstam, sed diuino nutu oblatam, mihi occurserunt, circa sublimitatem, grauitatemque huius argumenti, aliquamdiu hæsitanti, quippe tenuitatis meæ probe concio, venit in mentem istud Pauli ad Philippenses iudicium, quo, cum nonnulli Doctores c. i. 15 - 18.  
tum temporis non vero & genuino, ut quidem fieri debat, principio, & in vera sui abnegatione Christum annunciant, tandem pronunciat, et si non sine magno dolore interrogans: *Quid enim? attamen*  
*quouis modo, siue per occasionem, siue*  
J:[ 3 ] per

*per veritatem Christus annuncietur,  
etiam hoc gaudeo, quin etiam gaudeo.* Hæc ita mecum reputando cogitaui, quod si res tali paëto comparata sit, ut etiam dicto modo Christi Nomen annuncietur, quid non multo magis par erit Christianum, qui ex toto corde semper in votis habet, & cum vera seria que sollicitudine id agit, vt Christus in omnium animis magnificat, qui Nomen eius inuocant, eo anni- ti sedulo, vt pro viribus, quavis occasione, par- tes suas expleat. Præstantiam argumenti commen- dant pulcherrima illa B. Bernhardi verba super Can- tica Salomonis, *Si scribes, inquit, non sa- pit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si dispu- tes, aut conferas, non sapit mihi, ni- si sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus:* quippe cum ille Ipse est omnia in omnibus, & omni- um nostrarum actionum, quas à nobis fieri vult, ac præcipit, Christianarum scilicet fons & origo. Hoc itaque argumento diuina gratia in Exercitatione quadam Theologica ad colophonem perducto, inuenire non potui, quorum **NOMINIBVS** illud inscriberem, ac dedicando consecrarem, quam **VESTRIS**,


ximo

ximo Virtutis ac Meritorum splendore fulgentib⁹, quibus me ob Beneficia laudatissima quam maxime deuinctum esse sentio. In primis autem plurimum me debere fateor Beatissimo, Reuerendissimoq; VIRO de ARNSTED, cuius memoria sit in benedictione! IS enim plane curam paternam in conferendo illo Beneficio mihi exhibuit. ILLI, cum adhuc in viuis esset, gratias egi maximas, quas vt IPSE meo nomine reliquis COLLEGII SVMMI MEMBRIS SPECIATISSIMIS persolueret, cum omnes & singulos conuenire, & coram id facere, per tempus non esset permisum, singularis ac inusitatæ Benevolentiae erga me documento in se suscepit, atque etiam præsttit. Magna sane VESTRA in me Beneficentia fuit, vt eo, qno par est, modo, illam celebrare haud queam. VOS enim nisi VESTRA ope inopiam meam subleuassetis, ob rerum domesticarum angustias, sustinere vix potuissem, quæ subieram. Immortales propterea iterum iterumque Summo Numini, ac VOBIS, qui diuinæ Prouidentiæ fuistis instrumenta, decerno gratias, easdem illas, cum referre tanta Beneficia non liceat, perpetuo habiturus. Cæterum vt nunc publice quoque gratum meum animum testarer, veluti tesseram eius, Disputationem hanc VOBIS consecrare visum est, submississime rogitans, vt qualescunque meos conatus æqui

æqui bonique consulere , meque pariter ac stu-  
dia mea in posterum quoque solita Benevolentia  
complecti velitis quam benignissime. Quod  
supereft etiam quam maxime gratulor PERILLV-  
STRÌ DECANO NOVO de Dignitate recens col-  
lata. Faxit Summum Numen , vt noui isti Hono-  
res IPSI pariter , totique CAPITVLO SVMMO  
quam felicissime eueniant ! Dabam Halæ Magdebur-  
gicæ XXVII Iulii cīc 1000

R E V E R E N D I S S I M O R V M  
AC PERILLVSTRIVM VESTRO-  
R V M N O M I N V M

deuotissimus  
C V L T O R  
AVT O R E T R E S P O N D E N S .



J. N. J.



Ulm Pietas maxime utilis sit, immo necessaria, & sine sanctimonia nemo DEum videre posse, Hebr. XII, 14. nihil magis curæ cordique Homini, in his terris agenti, esse debet, quam ut sanctitati Vitæ studeat, omnesque suas actiones Diuinæ Voluntati conformes efficiens, tandem aliquando ad beatitudinem promissam perueniat. Quoniam autem homo viribus naturalibus id ipsum efficere haud quaquam valet, cum intellectus eius variis erroribus atque ignorantia depravatus sit, & appetitus rationalis pariter, ut vocari solet, & sensitius multis inordinatis motibus à vero Bono transuorsum agatur: actiones suas ex solis hisce principiis, sibi relictis, nec speciali diuina gratia adiutis, præstare, haud poterit. Quo circa longe alio principio opus erit, ex quo proficiuntur actiones Hominis, in statu gratiæ constituti. Hoc aliquoties sedula cogitatione ex Verbo DEI mecum reputanti, idque tanquam speciale quoddam lumen cum Naturæ lumine comparanti, comprehendere licuit, aliorum adhæc Theologorum Nostratum pias meditationes & doctrinas conferenti, longe ali-

A

ud

ud principium esse actionum Christianarum, idque to-  
to Cælo diuersum ab illis, quæ humanarum alias actio-  
num principia appellitantur. Et si autem varia Scriptu-  
ræ loca huic rei indagandæ & explicandæ sese mihi ob-  
tulerint, præ aliis tamen maxime accommodatum mi-  
hi visum est dictum illud Pauli Col. III, 17. Vbi hanc re-  
gulam actionibus Christianis præscribit, vt, quicquid fa-  
ciunt sermone & opere, id ipsum faciant in N O M I N E  
Domini I E S U &c. Occasione ergo huius dicti consti-  
tutum mihi est agere: De genuino actionum christia-  
narum Principio, quod iuxta sententiam D. Pauli nihil  
aliud est, quam N O M E N I E S u. Atque vt finem præ-  
fixum eo melius adsequamur, hæc quidem erit ordinis  
nostræ ratio, vt Primo acturi simus de Subiecto idoneo  
ad actiones Christianas; tum de ratione & conditione  
Principii earundem; denique de actionibus Chri-  
stianis, & earum moralitate. Adsit Deus nobis gratia  
sua, & efficiat, vt hoc ipsum quoque, quod suscepimus  
agere, fiat in Nomine I E S u, ad gloriam Dei, nostrique  
& aliorum emolumentum!

## CAPVT I.

De Subiecto idoneo ad Actiones  
Christianas.

## §. I.



Vemadmodum primariæ vitæ naturalis ope-  
rationes sunt, sese mouere, ac mediante mo-  
tu nutriti, augeri, & crescere, ita infallibile  
Vitæ spiritualis seu Veri Christiani signum,  
sunt actiones & augmentatio, atque progres-  
sus in omni bono. Hæc enim supernatura-  
lem

lem Diuinæ gratiæ vim, & efficaciam necessario arguunt, cuius Homo penitens per fidem in Christum fit particeps, (a) vt vitam, Christo ac Homine Christiano dignam, viuere, atque imaginem eius in se conspicuam reddere posit, quoniam Deus in nobis sui simile iure meritoque requirit. vid. August. Soliloq. c. XIX. Rom. VIII, 29. Col. III, 10. 2. Cor. IV, 11. 1. Cor. XV, 49. Cyprianus Lib. de zelo & inuidia fol. m. 106. b.

(a) Conf. Rom. VI, 19. 22. c, V, 2. seqq. Iac. I, 3. 25. c, II, 20. 26. Psalm. CXXX, 4. Rom. VIII, 4. c. XVI, 26. Tit. III, 7. 8. LL. Symb. p. 83. 84. 86. 109. 134. lin. I. seqq. p. 122. l. 1. seqq. 198. in medio. 116. l. 12. seqq. Macariu Hom. XV. §. 5. in fine §. 1. z. 4--6. Hom. XIX. §. 1. seqq. in Mac. Serm. Zen. Veron. de fide §. 25. seqq. 33. 34. Luc. I, 75. Taurerus p. 429. in die palmarum & p. 431. Brentius in Lucam fol. m. 471. 1. 6. seqq. in Matth. fol. m. 295. in fine Selneccerus Pædag. Christ. P. II, p. 370. a. b. & Chemnitius in Loc. fol. II. a. n. II. f. 19. seqq.

## §. II.

*Subiectum* (a) proinde est Homo vere iustificatus per fidem in Christum, supposita vera regeneratione diuina in ipso homine Matth. VII, 18. quæ tendit ad vitam nouam Eph. IV, 22. 24. vt, postquam a statu mortis & iræ intuitu Christi per fidem liberatus, non amplius sibi ipsi, sed (b) totus Christo vivat, Rom. VI, 11. qui pro eo mortuus & resuscitatus est. 2. Cor. V, 15. Eph. II, 10. Totum autem Deo dedit, dicit Hieronymus, qui seipsum obtulit, & hoc unum unice Deus ambiens Prov. XXIII, 26. præbe, inquit, fili mi, cor tuum, mihi. Fides enim illa, quæ vnit Christo hominem, non est otiosa (c) qualitas vel vacua siliqua in corde, utigravissime B. Letherus edocet. Cui restet ad stipulatur Brentius, (d) Da, inquit, ignem, qui non calet, & dabis etiam veram fidem, quæ non ad facienda quævis opera bona ardeat. Hæc ipsa Christi doctrina est, qua Joh. X, 10. adseverat, se ideo venisse, ut vitam habent ant &c. & mox C. XIV, 6. Ego sum Vita: quod maxime respectu nostri, meritior scil. efficienter, & applicatorie intelligendum. conf. Chemnit. de duabus nat. in Christo C. XVII. fol. 82. a. l. 12. conf. Chemnit. de duabus nat. in Christo C. XVII. fol. 82. a. l. 12.

(a) vid. Chemnitius in Loc. P. III. fol. 16. b. §. 3. f. 17. a. lin. 3. seq. §. 2. 3. f. 18. b. n. V. f. 29. §. 2. f. 227. §. 1.

A 2

(b) conf

¶ ( 4 ) ¶

- (b) conf. Richard Baxters Wegweiser zur Christlichen Sittenlehre / p. 255. reg. x. seqq. 257. §. 11. seqq. 258. §. 6. Baldinus in Epist. Paul. fol. 394. §. 4. medit. B. Anselmi C. VIII. & Baierus Comp. Theol. mor. p. 96. Speneri Predigten über Johann Arndts wahres Christenthum L. I. p. 92---95.
- (c) Comment. in Epist. ad Gal. p. m. 151. & 114. LLS. p. 71. n. 2.
- (d) in Evangel. Luc. fol. m. 943. D. Maius in Synops. Theol. mor. p. 12. §. IX. 23. seqq.

§. III.

Hinc Apostolus Gal. II, 19. 20. processum istum iustificati ostensurus, dicit : *Ego una cum Christo crucifixus sum. Vino autem non iam Ego, sed viuit in me Christus.* Iam itaque non Ego in mea persona, sed Christus viuit in me. Persona quidem viuit, sed non in se, aut pro sua persona. Istud Ego, quod debitor mortis & Legis est, non viuit, sed per fidem in Christum iustificatus & viuiscatus, vitam aliam habeo. Christus vitam illam, quam ago, viuit in me : immo vita, qua sic vino, ipsemet Christus est. vid. Luth. cit. loco. & in Tom. VI. Alt. fol. 625. b.

§. IV.

Est igitur duplex Vita, naturalis seu animalis, & alia scil. Christi, in nobis Vita illa nostra vera, originalis, atque primaaria. Secundum illam Christianus est *mortuus*, iustificatus autem viuit iam illius vitam : non viuit iam ipse, sed mortuus est : *Quis tum viuit ? Christianus.* Phil. I 21. Paulus ergo, ut in se viuens, plane per Legem mortuus est, sed ut in Christo, vel potius, ut Christus in eo viuens, viuit aliena Vita : quia Christus in eo loquitur, ( 2. Cor. II, 17. C. XII, 19. C. XIII, 5. Rom. VIII, 10. ) operatur, & exercet omnes actiones. 2. Cor. VI, 16. Eph. I, 19. 20. C. III, 17.

Vid. Tom. VI. Altenb. Luth. c. I. & Comment. in Epist. ad Gal. p. m. 150. Chemnitius in Loc. ex Luth. P. III. Fol. 31. b. Baieri Comp. Theol. mor. P. I. p. 34. 35. Mac. de patient. & discret. C. XV. XVI.

§. V.

Et hæc est illa Vita, ad quam Adamus fuit conditus, cum  
ipſi

ipſi (a) spiraculum vitarum eſſet inspiratum (Gen. II, 7.) diuinitus, quam ſtatiſ amifit per laſpum, ſed diuina gratia, vi Protevangelii, Semen mulieris annunciantis, contriturum caput ſerpentis, mox reſtituenda. Secundum quem proceſſum iam quoque reſtituta eſt per Chriſtum in omnibus, vera fide, in poenitentiæ ordine, meritum eius apprehendentibus, ut iam viuant in fide Filii Dei Gal. II, v. 20. Nam gratia Dei illuxit ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos, (παιδεύσα) vt abneгata impietate, & mundanis concupiſcentiis, ſobrie, iuſte, & pie viuamus in preſenti ſeculo Tit. II, 12. Abneгata, inquit impietate: quod non ſimplicem depositio- nem notat, ſed plenam abdicationem & renunciationem ma- ximo cum odio ac deteſtatione illius impietatis coniunctam, ita, ut quæ antea placebant, nunc maximo fastidio diſplice- ant. (b) Toties enim negamus nos, inquit Hieronymus, quo- ties priora vitia calcantes, definiimus eſſe, quod fuimus, & in- cipiimus eſſe, quod antea non fuimus. Quandoquidem Chri- ſtus ſemet ipſum tradidit pro nobis, vt redimeret ſibi popu- lum, περιέστον, aptum ad omnia bona opera. Hic habes me- ritum & applicationem.

(a) vid. Spenerus in Epift. ad Gal. p. 188.

(b) Balduinus in Epiftolas Paul. fol. 1494.

### §. VI.

Etsi vero Homo Christianus vtatur mundo & omnibus Creaturis, vt nulla diſſertia eſſe videatur inter eum, & im- pium, quippe cum idem victus, veſtitus, eadem auditio, Vi- ſio, cæterarumque operationum naturalium ratio ſit, vt inde eriam de Chriſto legatur, quod inuentus ſit habitu, vt homo: nihilominus tamen ingens diuersitas eſt, quæ inter utrumque intercedit, cum Homo Christianus ac vere pius viuat in fide Filii Dei, atque ita omnia hæc ex alio prorsus fonte flu- ant, eo ſcilicet, quem Paulus Col. III, v. 17. com- men- dat.

A 3

§. VII.

## §. VII.

Quæ à nobis dicta sunt hactenus de Subiecti conditio-  
ne ex Theologia morali, ea omnia satis superque deprehen-  
dere licet in ipsis Colossensibus, ad quos præceptum hoc di-  
rigitur de actionibus Christianis, ex vero & genuino suo prin-  
cipio instituendis, & quomodo in iis magis magisque sit pro-  
grediendum. Cum de statu mortis, in quo antea fuerant,  
mentionem fecisset, nunc viuificationem & vitam, per fidem  
in Christum, seu cum Christo, iisdem tribuit, Col. II, 12. 13.  
τὸῦ & πότε accuratissime discernendo Cap. I, 21. 22. seqq.  
proindeque illos recepta peccatorum remissione iustificatos,  
& in statu sanctificationis considerat, utpote à quibus præ-  
stari potest, quod postulat. Quam ob causam initio statim  
sanctos eos appellat, cum imputative tum inhaesive tales C.  
I. 2. & fideles fratres in Christo, propter fidem nempe in  
illum. Et fratres quidem nominat, ob communem Con-  
fessionem, & cultum vnius Dei, ac propter communem ado-  
ptionis gratiam, tum & ob insitionem in unum corpus mysti-  
cum. Facti enim per fidem Filii Dei vnius corporis membra,  
inter se erunt fratres, ut bene Crocius in h.l. Qua fide, &  
charitate in proximum, audita, fatetur se gratias agere Deo  
Apostolus v. 3. ibidem: (quippe quæ absoluunt Christianis-  
mum) &, ut perfici curarent opus illud Dei in se, Ioh. VI, 29.  
Col. II, 12. Phil. I. 6. C. II, 13. ex toto corde iisdem adpreca-  
tur v. 9. ut impleantur omni agnitione Voluntatis eius, non  
nuda γνῶση, sed ἐπιγνῶση, quæ cum apprehensione efficaci  
coniuncta, Christium sibi applicat, & Legis regulam in ipsa  
conuersatione cum aliis pro virili exprimit, & sanctitate Vi-  
tae ostendit ἐν πάσῃ σωφρίᾳ καὶ συνέσει, omni sapientia & in-  
telligentia spirituali, ut fallacias & imposturas sophistarum  
& Pseudo-apostolorum' quascunque prudenter animaduer-  
tere, & à vero solide discretas, vitare queant, & περιπατᾶν  
αξιῶς τῇ Κυρίᾳ, i.e. talem vitæ rationem sequi & tenere, quæ  
decet per Evangelium efficaciter vocatos à Domino, seu,  
eos,

eos, quos idoneos fecit eis τὴν μερίδαν τῇ κλήσει τῶν ἀγίων εἰς τῷ Φωτὶ v. 12. Et oppositum hoc est τῷ quiescere à cursu, sive non progredi in via, hoc est, non facere & præstare, quod præstandum est, & Deo, & proximo, absque ulla interiecta mora, ut per omnia placentes, εἰς δέσποιναν, εἰς παντὶ ἐγγύων αὐτῷ, fructum proferant, in oppositione ad v. 21. & crescant εἰς τὴν ἐπίγνωσιν. Quod itaque de progressibus in Christianismo sermo sit, nullus dubito: siquidem jam erant in fide & charitate, ut supra ostendimus, constituti.

## §. VIII.

Quamobrem C. II. v. 6. ut ad profectus ubiores magis magisque tendant, eos porro adhortatur. Sicut inquit accepistis Christum Iesum Dominum; (quomodo? vid. v. ii. 12. & 13.) ita in eo ambulate, in ejus fide & obsequio perseuerantes, secundum eius mandatum, & Spiritus ductum, in via persistite, nec aliter, quam in ipso, in quo, & quomodo semel cœpistis, pergit: Nam Christus ipse Via est, & etiam lux Ioh. XIV. v. 6. C. VIII. 12., mox emphaticē addit ἐρρίζωμένος, & superædificati, & constabili in Christo, ut in illo, velut solo firmissimo altas agant radices, ab illo succum vitalem, vigorem, & vim progrediendi & perseuerandi trahentes Eph. III. v. 18. atque ita indies, dum solido inhaerent fundamento magis magisque corroborati confirmentur. Non igitur consistendum est, sed semper pergendum usque ad metam Phil. III. 12. 13. 14. siquidem non proficere in Christianismo, nihil aliud est, quam deficere. Atque ita ad integratatem Christianam & intellectus & Voluntatis, omniumque virium reliquarum respicit Apostolus, ut quotidie in majus meliusque prouehantur. Nam finis redemptionis est, ut vere illius participes fiamus, ad quod redempti sumus, nempe sanctitatis Patris nostri (Hebr. XII. 10.) c. I. 22. c. III. 19. Collato Ioh. I. 16. idque non in instanti, sed successive, ut vocabulum impleri, crescere (2. Petr. III. 18.) & ipsa vox τελεότης & alibi καταχθίσα &c. 1. Petr. V. 10. secum fert: (siquidem coeptum propterea est, ut ad finem perueniamus)

Nam

Nam gratia iustificans & sanctificans nunquam separari potest  
 1. Cor. I, 30. 2. Cor. V, 14. 15. 1. Petr. II, 24. vid. Speneri *Glaubens-Lehre* p. 868. Hinc maxime ad renouationem referunt vocem sanctitatis Chrysostomus, Theophylactus, & recentiores etiam Interpretes: Quanquam ea nec ab ordine remissionis peccatorum, seu iustificationis, seu subiecto excludatur. Ioh. I, 9. 1. Cor. I, 8. Cum dicit, ut sisteret vos sanctos, applicationem innuere volens, utitur secunda persona: Sanctos, inquit, tum sanctitate imputata, ut vos, qui antea eratis in vobis ipsis impurissimi, & inde rei *æternæ* mortis & damnationis, per fidem in eum, ac si nullum unquam peccatum a vobis esset commissum; tum sanctitate inherente paulatim vos sanctificetis, in vobis ipsis, ut hic incipiatis immaculatam vitam agere, & irreprehensibilem, vid. Crocius h. I. fol. 35. a. quæ tandem omnibus numeris in cælis aliquando perficiatur. Denique addit, coram eo, scilicet iudicio ejus, in quo peccata non imputantur, & reliquæ teguntur, propter fidem in Christum, Rom. IV, 6. 7. 8. c. VIII, 1. atque hæc ita dicuntur in oppositione ad τὸ coram Iehovab peccare, i.e. sine metu Gen. VI, ii. c. XIII, 13. adeoque non tantum coram hominibus, qui ad externa tantum respiciunt. Qua occasione etiam de iudicio illo, quod intra animum exercetur, aliquid dicere possemus, sed scopo nostro tantummodo inhæremus.

## §. IX.

Ethi ipsi sunt, quos Apostolus c. III. initio eam ob causam, ut nimirum proficiant in sanctitate, tantopere adhortatur ad desiderium rerum cælestium, quod omnes habeant necesse est. Ex quo intelligitur, ad omnes homines pertinere illas, in quoconque statu ac vitæ genere, externisque circumstantiis agant vitam; siquidem non ita multo post variis hominum status recenseruntur. In quibus, quidquid ab Apostolo doceatur ac præcipitur, ex præcedentibus inferri videmus: Quærite Regnum Dei, τὰ ἀντῆτα. Ut vero ad desiderium rerum cælestium omnes & singulos adhortatus est, ita nunc quoque

qui modum ostendit, ad illas adspirandi, & perueniendi: mortificare, inquit, membra vestra &c. gravissimis additis rationum momentis; quem modum porro maximopere commendat. Loquitur enim cum hominibus iam iustificatis, vitamque in possessione habentibus, ex qua iam actus vltro fluentes postulat, in mortificatione membrorum consistentes; nimirum eo ipso præcipit quotidianam pœnitentiam, sive renouationem, id quod inductionis nomine exprimit; atque hoc medium est ad finem perueniendi.

## §. X.

Quem in finem studium Verbi Divini, quod mentem Dei in omnibus nobis manifestat, sequitur, quomodo instituenda sit vita, ut πλεστως in nobis habitat, i.e. ut nos cum fructu illud meditemur, quo diuites reddamur, & in fide & charitate, in solatio & præsidio aduersus tentationes, vti A&t. XVII. v. 13. de Berröhensibus legitur. Quo facto generalem illam regulam v. 17. omnium sermonum & actionum nostrarum proponit, que à Christo suum habere debent principium, progressum & finem, & sic agenda credendis aptissime iungit.

## §. XI.

Quanquam autem Hominem iustificatum diximus esse subiectum (a) actionum Christianarum, non tamen id à nobis ita capitur, ut iustificatio sanctificationi & renouationi opponatur, sed prout illa hanc veluti consequens necessarium comprehendit. Quamvis enim gratia Dei, in se considerata, & a parte Dei, una sit & simplex, vti Deus Trinus est Ens simplicissimum, & infinitum; pro diuersitate tamen obiectorum, diuersoque inde concipiendi modo, varia est, ut nunc iustificans, nunc sanctificans, aliiisque nominibus insigniri possit. Atque haec gratiae diuinae, iustificantis & sanctificantis, diuersitas ideo a nobis hie attenditur, quia non sumus nescii, a Pontificiis plerisque ita confundi iustificationem cum sanctificatione, vt illam, in infusione iustitiae habitualis, confistere, adfirment. Quatenus enim vocabulum iustifica-

B

tio-

tionis stricte capit, & sanctificationi contradistinguitur, Homo nihil operatur, aut cooperatur, sed mere passus se habet ad gratiam Dei recipiendam ; in sanctificationis vero negotio homo quoque incipit (b) cooperari, Gratia diuinæ viribus instructus. Ita Augustinus hoc ipsum accurate exposuit cap. XVII. de Grat. & Lib. Arb : Ut velimus, inquiens, sine nobis operatur in nobis, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.

(a) vid. D. Maii Synopsis Theol. Moral. p. 4. §. 4.

(b) Chemnitius in Loc. P. III. fol. 222. §. 8.

### §. XII.

Cæterum quia actiones illæ, de quibus infra latius differe-re animus est, ita ab Homine proficiuntur, ut ope potentiarum & facultatum, quibus quoad mentem pariter & corpus prædictus, ab ipso peragantur : perspicuum est eo ipso, dum Hominem sanctificatum subiectum actionum Christianarum esse adserimus, id de toto Homine, quod ad omnes eius vi-  
res, esse accipiendum. Ita sanctificatum esse Hominem oportet, intellectu, voluntate, appetitu sensitivo atque adfectibus, & quidquid præterea motuum in Homine reperitur. Tam pro-funda enim Hominis per peccatum facta est corruptio, ut potentiæ istæ naturales, sibi relictæ, nihil producere valeant, quod reatum sit & cum voluntate Dei consentiat. vid. Chemnit. in Loc. P. III. fol. 222 b. §. 1. 3.

### §. XIII.

Cum adhuc integer esset Homo, maximis gaudebat do-nis & bonis, quibus similitudine quadam Creatorem suum re-ferebat. Quemadmodum enim Deus, sapiens, iustus & sanctus est ; ita has perfectiones ex ipso etiam Homine elucere voluit, ita, ut intellectus eius polleret sapientia, Voluntas, iustitia, appetitus & affectus sanctitate. Testatur hoc satis variis in locis Scriptura sacra, vbi de réparatione & renouatione Homini-nis peccatoris agitur. e.g. Eph. IV, 23. Col. III, 10.

### §. XIV.

Intellectum quod concernit, talis ille vis est, menti nostræ insita, ut per eam verum apprehendere & dijudicare licet. Data illi erat, ut modo diximus, Sapientia, qua collustratur quodam quasi lumine in rebus cognoscendis & dijudicandis. Quam necessaria erat intelligendi facultas, cum nemo possit agere quod non intelligat, tam quoque necessaria est ipsa mentis sanctificatio, qua recte demum aliquid intelligere datur. Hac si destituitur, in maximis ignorantiae & errorum tenebris versatur, ut quid verum aut falsum, quid bonum ac malum sit, in diuinis percipere plane haud possit, ut recte Brentius adfirmat: *Ratio non intelligit commoda vel incommoda nobis.* (a) Quo quidem modo *Subiectum actionum Christianarum* non erit: Homo animalis non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia namque est ipsi, nec (b) potest cognoscere &c. Rom. VIII, 17. Ier. X, 23. Ioh. VI, 60. 63. c. XIV, 17. Renouatus ergo esse debet intellectus eius εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας conf. Col. III, 10. c. I, 9. Eph. IV, 23. 24. c. II, 20. Rom. XII, 2. Phil. I, 9. (c) (ad intellectum formaliter spectat.) Et ita tandem aptus erit & idoneus ad omne opus bonum perficiendum.

(a) vid. Ille in Lucam. fol. m. 683. (b) Sebalt. Schmid. in Colleg. Bibl. poster. p. 161. (c) Baierus in Compend. Theol. mor. p. 66. 67. seqq. Sal. Glasii Philolog. Sacra. Lib. V. Tract. I. C. XII. p. 357.

Quocirca nullo modo probare possumus illorum sententiam, qui putant, *Voluntatem Hominis tantum corruptam esse, intellectum vero illius adhuc integrum.* Etsi enim verum est, voluntatem haud raro intellectum præcurrere, & in aliquid ferri, antequam fuerit cognitum, immo interdum contra illius iudicium agere. Inde tamen neutiquam sequitur, intellectum à corruptionis vicio propterea esse immunem. Non Scriptura tantum, sed ipsa etiam ratio satis docet contrarium. conf. Eph. IV, 17. 18. 23. c. II, 3. Tit. III, 3. Gen. VI, 5. Sap. IX, 15. seqq. vid. Bald. Comment. in omnes Ep. P. fol. 1506. a.

1096. b. 1097. a Scherzeri Breuiarium Theol. Hulseman, p. 308.  
Th. II. seqq. 310. Th. IV. seqq. 319. (β) Sed ad voluntatem  
veniamus.

### §. XVI.

Hæc itidem, vt intellectus, est vis aliqua; menti nostræ diuinitus tributa, sed qua bonum & malum ab intellectu ante cogitum, appetimus & auersamur. Perfectio illius, vti pa-  
lo ante diximus, iustitia est, qua naturaliter maximeque de-  
terminata fuit & propensa ad bonum tam spirituale, quam ci-  
uile, hoc vel illud libere eligendum, vel non eligendum. Qua  
priuatus Homo in maximam *ἀταξίαν* prolapsus est, & in sedis-  
simam viciorum colluuiem, eorum scil. omnium, quæ cum iu-  
stitia pugnant. Quemadmodum itaque infinita Dei bonita-  
te & singulari Spiritus Sancti gratia intellectus Hominis ren-  
ovatur; ita Voluntas quoque eius, iustitiae denuo fit particeps,  
Eph. IV, 24. Luc. I, 6. 75. vt nihil aliud hæc talis velit aut nolit,  
quam quod intellectui sanctificato, atque adeo ipsius Volun-  
tati Diuinæ congruum est. Vti ergo actiones Christianæ in-  
tellectu sanctificato prælucente, ita Voluntate etiam pariter  
sanctificata, & quidem decernente, suscipienda sunt, vid. LLS.  
p. 672, 673. seq. Phil. I, 13. collato Rom. IX, 16. 17. collat. Matth.  
XI, 27. cum 28. ad q. conf. Wolfgang. Franzius de Interpre-  
tat. Script. S. p. 319. præcipue orac. 30. & 32. ibidem.

### §. XVII.

Cum Voluntate, appetitus sensitivus quadanterus con-  
uenit. Vti enim illa in prosecutione boni, & fuga mali, se-  
occupat, ita hic etiam circa bonum & malum suo modo versat-  
ur. Vnde quoque voluntas ipsa appetitus dicitur, at non  
absolute & simpliciter, sed cum addito, appetitus ratio-  
nalis. In eo enim Voluntas ab appetitu sensitivo di-  
stinguitur, quod illa facultas quedam rationalis fit, appetens  
bonum, & fugiens malum ab intellectu cognitum; hic vero  
non rationem immediate & proxime, sed sensus eorumque  
motus sequatur, ita, vt hic iudicio sensuum; illa vero iudicio  
rationis innixa sit. Non est itaque appetitus sensitivus in &  
per

per se rationalis, quod ad ordinem tamen diuinitus institutum, quo illi subiiciendus venit, rationis particeps. Et cum post lapsum illa vulgo sic dicta, recta ratio in irregenis debita hic reditudo destruitur, indeque nec ipse appetitus sensitius, ei se submittens, satis recte se habeat: Nos in Homine Christiano requirimus, ut appetitus in eo sensitius eatenus directioni intellectus & imperio Voluntatis suum præstet obsequium, quatenus non ipse tantum impulsu Spiritus Sancti gaudet, sed illius ope etiam intellectus, Sapientia collustrati iudicium, & Voluntatis, Iustitia renouata, aeternus sequitur. Hæc conformitas cum ratione integra est illa ipsa Sanctitas, quæ Homini quondam fuit concreata Eph. IV, 24. ad quam post lapsum denuo renouandus est, ibidem.

## §. XVIII.

Huius Sanctitatis in Homine Christiano participes quoque esse debent affectus, illæ scilicet commotiones, quæ ab obiecto sub boni vel mali specie, in appetitu præcipue sensitivo excitantur. Quæ quidem in se spectate nihil vitii continebant, cum sint datae Homini, ut essent instrumenta honestissimarum operationum. At vero sicut appetitus, ita etiam hi imperii nunc corrupti & sepe immorigeri sunt ac rebelles penitus intellectui & Voluntati. Quam ob rem hi quoque sacrificandi sunt in Homine Christiano, ut vna cum appetitu sensitivo subdant se se subiiciant rectæ rationi secundum motus Spiritus Sancti, in mente Hominis excitatos, cf. Macarius Hom. XV. §. 50. 51. In opusc. de perfec. in Spiritu C. II. III. Eiusdem de Patient. & discret. C. IX. De Libert. mentis C. XXVII. De Elevat. mentis. C. XVII. De Charitate C. XXVII. Thomas à Kempis de Imit. Christi Lib. I. C. VI.

## §. XIX.

Notandum quoque est, quod sub hoc consensu appetitus sensitivi & affectuum cum ratione, ad integratem renouata, comprehendi etiam possit consensus & harmonia

facultatum omnium inferiorum v. g. facultatis vegetatiæ, locomotivæ, & similium, rectitudini ac prauitati morali non aliter expositæ, quam mediante appetitu sensitivo atque affectibus. Ita visio & auditio per se res est indifferens ( si ita considerari potest ) atque ita neque bona neque mala , sed per appetitum vel bona vel mala redditur : Quod de cæteris etiam fænctionibus facultatibusque corporis est intelligendum. Quando ergo appetitus bonus est, haec quoque facultates non peccant, cum illius beneficio sese exerant; si vero malus est, ipsæ quoque lineas transflent, hominemque à recto trahit transuorsum agent, ut in multa peccata præceps feratur. Spectant huc illa præcepta, qua Homo Christianus iubetur, omnia sua membra, totumque adeo corpus, quod servicio animæ destinatum est, iusticiæ & sanctitati mentis, veluti arma & instrumenta eiusdem, consecrare. Rom. VI, 13, 19. C. XII, 1. Nam aurum deponere, inquit Hieron. Epist. XXVIII. ad Lucin. incipientium est, non perfectorum. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Anthonenes ; seipsum offerre Deo, proprio Christianorum est.

## §. XX.

Totus (a) ergo Homo quantus quantus est, ratione animæ scilicet & corporis, omniumque virium & facultatum in ipso reperiendarum, sanctificatus esse debet : alias ipsæ actiones non possunt esse sanctæ & vere Christianæ, ut Deo placeant. Quando autem Homo Deo gratus & acceptus est, omnia etiam illa, quæ ipse cogitat, loquitur ac facit, cum in Christo siant, & per Spiritum ejus, grata erunt atque accepta.

(a) 1. Theff. V, 23. Luc. XI, 26. Cant. IV, 7. Macarius Hom. II. §. 4-1. H. XIII, §. 11, 10. H. XXIV. §. 6. in fine. H. I. §. 2. P. II. Lib. I. C. I. L. III. C. 4. & C. 13. Gerhard. medit. 20. Vol. I. Patrum Apostol. f. 93. a. 96. b. D. Maii Synopsi. Theol. mor. p. 83. 84. 85. & quæ ex LLS. Luther. aliisque ibi citata leguntur. p. 4. ibidem §. 4. & Th. Symb. art. IX. §. 8. 9.

## §. XXI.

Vltimo loco adhuc obseruandum est, postquam homo, eo, quo diximus, modo, gratiae diuinæ factus est particeps, ipsi subsistendum haud esse, sed eiusdem illius gratiae virtute & efficacia eo allaborandum, vt indies magis magisque proficiat & augeatur. (a) Etsi enim initio Conversionis suæ, quo connoti incipit, vt ex statu peccati in statum gratiae transferatur, velut mortuus nihil actiue operari valet, attamen simul atque Vita spirituali donatus est, iis gaudet viribus, quibus & ipse aliquid agere & cooperari Spiritui Sancto possit. LLS. p. 673. 674. Quam ob rem ipsi enitendum est, vt subolecat fides eius i. Cor. X. 15. & in cognitione Redemptoris crescat, potentiaque resurrectionis Phil. III, 10. ut suppleantur, quæ desunt adhuc fidei i. Th. III, 10. vt euadat in virum perfectum, in mensuram ætatis plene adultæ Christi Eph. IV, 13. adolescens in illum, per omnia v. 15., vt abundans & exuberans fiat mutua charitate, & in omnes; vt confirmetur cor eius, irreprehensibilis in sanctimoniam coram Deo & Patre nostro in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius.

(a) 2. Cor. III, 18. Macar. de Libert. mentis. C. XXI. p. 211-213. Luth. Tom. VI Alt. p. 458. à D. maio in Synops. Theol. mor. cit. p. 137. Thomas à Kempis. Lib. I. C. XXV. C. XI.

Hæc de Subiecto fusius propterea prius tradere visum est, vt tanto rectius in sequentibus pateret, quodnam verum & genuinum actionum Christianarum esset principium, nosque ita præpararet ad reliqua dicenda. In praesenti namque scrutinio considerandus nobis homo non erat in statu naturæ corruptæ, & quatenus iregenitus est, sed in statu gratiae, in quo vt regenitus, iustificatus & sanctificatus existit. Posset equidem Homo in statu etiam corruptionis suæ τὰ τὰ νόμοις aliquatenus facere Rom. II, 14. cum tamen virtutibus vere talibus, atque adeo Theologicis destituatur, actiones Christia-

stianas perficere neutquam potest, nam *ἀνετοντας τὸν αὐτὸν σκευῶν, τύτεσι τῆς χάριτος, ἀδύνατόν τινα τῷ θεῷ διανοῆσαι, τύτεσιν εὐαγγελίσας εἰς πάντα τὰ τῷ θεῷ θελήματα*, inquit Macarius Hom. XV. §. 5. in fine. (a) Illarum enim moralis bonitas non ex ruderibus illis, quæ post lapsum etiam adhuc in Homine superfluit, sed ex integriore illius ratione, ad quam non nisi per renovationem venitur, & ex sublimiori ejus statu dijudicanda est. Homo Christianus ergo integer esse debet, (b) ut actiones vere Christianas edat, perfectione scilicet non graduim, quæ obedientia omnibus numeris absoluta Legem Dei, voluntatemque eius impleat, sed partium; cui nihil desit eorum, quæ Christianum Hominem ratione animæ & corporis omniumque virium constituant, & licet ei multum adhuc imbecillitas ac imperfectionis ob nativam labis impuritatem admistum sit. Perfectissima autem Christi iustitia, regenitus per fidem imputata, defectum omnem supplet, & quidquid impuri adhuc supereft, tegit, cf. Speneri *Lauterkeit des Evangel. Christenthums* P. II. p. 569. seqq. Nimirum in hac vita illa ipsa perfectio & integritas tantum inchoatur, & Spiritus Sancti gratia, accidente ipsius etiam Hominis regeniti studio & opera in maius meliusque prouehitur, vt vere sint adulati vel perfecti, (c) i. e. vt non semper sint infantes vel parvuli, sed prouecti, viriles, stantes; denotat enim continuum profectum in fide Christiana, quia Christus, spiritualiter in illis per fidem habitans, Eph. III. 17. vt herus in domo iuxta Baldwinum ad h. l. suas habet diuersas ætates & progressiones I. Ioh. II. 12. 13. 14; in altera vero æternaque vita demum plene perfectio consummabitur.

(a) vid, Drexelius p. m. 779. 669. seqq.

(b) Col. 1,28. C. II, 10. C. IV, 12. Phil. III, 15. 1. Cor. XIV, 20. Iac. 1, 4. Eph. IV, 12. 13. Cant. II, 10. seqq. C. III, 1-7. seqq. LLS. p. 144. circa finem, Brentius m. Apol. Conf. illustr. Princ. Christoph. Duc. Wurteb. peric. 2da p. m. 569. 570. Crotius Comment. in Epist Pauli minor. Tom. II. fol. 73. a fol. 88. n. VIII. f. 146. b. D. Baier. Compend. Theol. mor. P. I. p. 41. §. 14. seqq. D. Maius in *Synops. Theol.*

Theol. mor. p. 92. n. 2. Thomas à Kempis. C. XXV. §. 4. 5. C. XXXII. §. 2. 3. Spenerus contra Breving. p. 518. 519. 843. Salomon. van Till. in Evangel. Matth. p. 204. 205. 690. b. Balthasar Käpke Dialogus de Templo Salom. P. IV. p. 172-181-204. seqq. 221. seqq.  
(c) vid. Matth. Poli Synops. Crit. aliorumque Sc. S. Interpp. vol. V. fol. 751. a.

## CAP. II.

### De ratione & conditione *Principij*.

#### §. I.

**D**iximus superiori capite de Subiecto actionum Christianarum, sequitur, ut de *Principio* ipso etiam nunc videamus: quod exprimitur in nostro Dicto paucis hisce verbis, quibus iubemur omnia facere (*in nomine Iesu*) *ἐν τῷ ὀνόματι Ιησοῦ*. Significanter admodum loqui videtur Apostolus, dum dicit, non *ἐις ὄνομα*, quod ipsum etiam satis eleganter esset dictum, sed *ἐν τῷ ὀνόματι*. Hoc autem nostro quidem iudicio ita optime intelligitur, si comparationem instituamus inter has loquendi formulas, quibus ut hic loci iubemur facere omnia *ἐν τῷ ὀνόματι*, ita alibi Ioh. XX, 31. dicimus credendo vitam habere *ἐν τῷ ὀνόματι*, credentes *ἐις τὸ ὄνομα αὐτοῦ* Ioh. I, 12. in Nomine eius: *ἐπὶ τῷ ὀνόματι* Luc. XXIV, 47. quippe cum analogia quædam detur inter *πιστεύειν* & *ποιεῖν*, vt B. Musculus ad h. I. optime docet. Similes locutiones cum *τῷ* *ἐν* vid. Marc. I, 15. Jac. V, 14. & LXX. 2. Par. XX, 20.

#### §. 2.

*Quid vero est illud ὄνομα?* nihil certe aliud, quam ipse Christus, vti ipse Brentius in conc. germ. in Act. Apost. circa finem conc. XIII. ibidem hoc explicat. Nimis Christus in toto suo officio mediatorio tanquam unica salutis nostræ causa intelligitur. Vnde in Act. C. IV, 12. dicitur, non esse datum aliud Nomen sub cœlo hominibus, in quo salutem con-

C

sequan-

sequantur. Idem est ac si diceret, cum sit penes solum Deum salus, non vult alio modo nobis esse communem, quam si a Christo solo petatur. vid. Caluinus fol. m. 48, ad h. l. per quod demum nobis Deus Pater sit objectum amabile: trahit quidem Pater ad Filium, sed per illum deinde venimus ad Patrem, mediante Spiritu Sancto. Nomen autem seu ὄνομα est id, quo res aliqua cognoscitur. Sic in Filio quoque est Nomen Patris, unde ipse nobis innotescit: *Nomen meum*, inquit Deus Pater Exod. XXIII, 21. *est in Ipsi*, Ioh. XVII, 6. & Filius Ioh. XIV, 9, ad Philippum dicit: *Qui me videt, videt Patrem*. Quem admodum itaque in Filio Nomen Patris est, per quod se nobis reuelauit; sic Nomen Christi est tota eius reuelatio, quo modo se ipsum tanquam nostrum Mediatorem & Scrutatorem manifestauit, & a nobis agnoscitur atque per fidem apprehenditur. Sic & res ipsa, quae in Deo cognoscitur, Nomen est, non tantum id, quo, tanquam signo is cognoscitur. Nomen proinde Filii Dei est persona eius cum officio & maiestate ipsius; omnia namque vox Nomen comprehendit, vt per Nomen Domini Dei ipse Deus intelligitur Deut. XXVIII, 58. Ps. XX, 2. Pf. LXVI, 2. Vn o verbo: Nomine Dei γεωθὸν καὶ δοξαθὸν τῷ θεῷ declaratur. (a) Idem & Beza, cum dicit: Nomen Christi pro ipso Christo ponitur, sicut Nomen Dei pro Deo. Qui igitur Christum gratia Spiritus Sancti suum facit per fidem in vero pœnitentiæ ordine, is dicitur εὐ τῷ ὀνόματι τοῦ πιστοῦ, ita vt per illam fidem cum Christo unitus (b) in eo sit, & Ipse in illo. Hinc ita emphatice saepius Scriptura dicit εὐ τῷ ὀνόματι & εἰς τῷ ὀνόματα, vt Act. X, 43. Ioh. III, 18. I. Ioh. V, 13. Phil. II, 10. Quam emphasis τῷ εὐ, quanquam in alia materia, recte vrget B. Chemnitius Tract. de duabus naturis in Christo. C. XXIV. fol. 130. b. & Ioh. Crocius Comment. in minor, Epist. Paul. Tom. II. fol. 73. b. lin. 14. & Spenerus in *Verteidigung des Zeugnisses von der ewigen Gottheit Christi* p. 355. 519. 532. seqq. 163.

(a) vid. Sebalt Schmid, Comment. in I. Ioh. Epist. p. 495. Speneri *Verteidigung des Zeugnisses von der ewigen Gottheit Christi*

- theidigung des Zeugnisses von der ewigen Gottheit Christi p. 251.  
in fine, 252, 253, Eiusdem Predigten über Johann Alnd's Bücher  
von wahren Christenthum L. I. p. 112. L. II. p. 340. Matthæi Poli Sy-  
nopsis Criticorum aliorumque S. Sc. Interpp. Vol. V. f. 1592. Index  
Balduinian. in Ep. P. Comment. generalis. Auct. Ioh. Olear. f. 35. a.  
art. IX. §. 3. LLS. p. 536. I. 21. Ioh. Brentius Hom LXIX. in Iohan-  
nem fol. m. 760. I. 13. 14. Sal. Glasii Philologia sacra. Lib. III. p.  
148. & Lib. V. p. 75. 76. D. Maii Synops. Theol. mor. p. 102.  
(b) Spenerus in Vertheidigung des Zeugnisses von der ewigen Gottheit  
Christi p. 370. 592. 593. Eiusdem Predigten über Johann Alnd's  
Bücher von wahren Christenthum L. II. p. 101. 102. D. Maii Synops.  
Th. mor. p. 79. §. XI. p. 63. §. VIII. Index Balduin. in Epist. Paul.  
Comment. generalis. Ioh. Olear. p. 173. a. art. 96. §. 1. §. 5.

## §. III.

Quemadmodum itaque res se habuerit cum illo *ἐν τῷ ὄντει*,  
*οὐόματι*, respectu *τῆς μητέρεως*; ita pariter deinceps, quando e-  
uangelice præcipitur *ἐν τῷ ὄντει*, *οὐόματι*, *καὶ οὖν*, ut vnum alterum re-  
spiciat, alias *περιπτάτειν* *ἐν ὄντει* Kugis Mich. IV, 5. id quod  
Glossio in Phil. c. l. est, Eum agnosceré & colere. Nempe  
eiusmodi fidelis, qui ita transplantatus est perfidem in Chri-  
stum, perpetuo vires viuendi ex illo attrahens, totam suam  
vitam degit *ἐν τῷ ὄντει*, tanquam in suo elemento, ut omnia  
ex Christo, tanquam radice, & per Christum eiusque Spir-  
itum, ad Patrem, & in Christum procedant. Quam ob rem fi-  
des in Scriptura dicitur fides Christi, e. g. Gal. II, 16. c. III, 22.  
Rom. III, 22. 26. c. V, 22. cuius & causa efficiens & obiectum  
sit Christus, (Col. II, 5. 6. & Crocius ad h. l. Joh. III, 16. Aet.  
X, 43. c. XVI, 31.) non aetue, sed passiue, qua creditur, ut  
bene B. Baierus notat in Theol. positiva p. 634.

## §. IV.

Atque hæc fides accenditur in baptismo, & deinde in  
poenitentia ex euangelio. Quod ipsum patet ex dictione illa  
Aet. X, 48. qua dicuntur baptizati *ἐν τῷ ὄντει νεψίᾳ*, & *ἐις*  
*ζωὴν* C. II, 38. c. XIX, 4. 5. Rom. VI, 3, i.e. mandato & au-  
toritate, virtute ac potestate, eiusque merito, Matth. VII, 22.  
c. XXVIII, 19. Aet. III, 6. & 16. c. IV, 7. 1. Cor. VI, 11. atque

inuocatione Nominis eius Matth. XIX, 20. Ad quod hoc loco accedit illud speciale, ut simul illa dictio includat; loco Dei id facio. (a) Addatur 1. Sam. XVII, 45. 2. Sam. VI, 18. Et notatu dignum est, quod ipsi Socino (b) in Nomine Christi prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum, idem sit, ac Christo ipso id præstante & perficiente. Ex quo sequitur in Nomine Christi baptizari, esse, Christo ipso & præstante, & perficienæ, bæptizari, & per baptismum cœlestium bonorum fieri participem.

(a) vid. Ioh. Gerhard, in Exegesi, vber. Expl. quorundam Artic. fufus tract. p. m. 1012. §. 28. seqq.

(b) in Explic. Loc. Script. p. 82.

### §. V.

Sic eodem modo Apostoli, quæ leguntur edidisse miracula, fecerant illa in Nomine Iesu (ἐν ὀνόματι). Non enim somnianda hic est vis quædam magica, vt Iudei in Nomine Iehouah delirant, sed ἐν τῷ ὀνόματι Ιησοῦ Ἀθ. III, 6. i. e. mandato eius, inuocatione, virtute, & in gloriam eius illa siebant, vt potest qui hinc glorificandus erat v. 13, ibidem, seu in fide, vel per fidem, in Nomine eius, & quæ habetur Nomiini eius, coll. v. 16. ibidem. Nam ἐπὶ pro ἐν etiam poni solet vt ad Philem. v. 4. Hinc Syrus habet Καρ., quod est, & ἡ δί, ἀντί, & ἡ ἐν ἀντί. Bis autem ponit fidem, in Nomine Christi, ob fidem & Petri in patrando, & claudi in recipiendo hoc miraculo; & sic indicat, suum agendi Principium vnicum esse, fidem in Christum. Et si expendamus, quam maligna sit hominum natura, non potest tam mirifice prædicari Christus, vt sicut illi honor integer maneat. Meminerimus ergo, hac copia Petrum exundasse, vt nos in Christo sisteret. vid. Caluinus in Comment. ad Act. Apost. Lib. I. fol. m. 39. & ibidem: Cum dicit, fidem, quæ per eum est, hoc verbo significat, fidem nostram Christum respicere, & illo subniti. Id quod generale est pro omnibus Christianis, licet non in eiusmodi particularibus circumstantiis, in miraculis videlicet præstandis.

### §. VI.

Quæ haec tenus dicta sunt , satis superque edocent , quæ  
 Diicti nostri sit sententia , & quid Apostolus sibi velit , præcipi-  
 ens Christianis , vt quidquid fecerint , faciant , in Nomine Iesu.  
*In Nomine Iesu* , inquit , i.e. vera fide in eum , præsupponens  
 fundamenti loco meritum Christi , quod omnino præcedere  
 debet , quod ad applicationem , actionibus Christianis . Signi-  
 ficat erga *Nomine Christi* aliquid agere a) Ipsius Auctoritate &  
 iussu , Deut. XIX , 19. Ier. XIV , 14. vt nihil suscipiamus , quam  
 quod ab illo in Verbo eius mandatum legimus , & illo modo ,  
 quo præcepit (a) coequit tempore , vti moris est in Scriptura ,  
 vbi sœpe numero huiusmodi loquendi ratio occurrit v.g.  
 quando David testatur , se hoc vel illud fecisse in Nomine Je-  
 hovæ , i.e. Auctoritate & iussu eius atque fiducia in eum , vt  
 1. Sam. XVII , 45. Psal. CXIX , 9..12. 1. Cor. V , 4. b) Inu-  
 cato Christi Nomine , vt preces primordia sint actionum  
 Christianarum , ita tamen vt etiam easdem comitentur ,  
 tur , atque adeo etiam finiant. c) Eius Spiritu , & auxilio ,  
 Ioh. XIV , 13. 14. quo impellimur ac incitamus ad omne opus  
 bonum perficiendum. Rom. VIII , 14. d) Denique in glori-  
 am eius 1. Cor. X , 31. ad quam referenda sunt omnia , (b) &  
 quo tendere debent , quidquid aut cogitamus , aut loquimur ,  
 aut facimus , vt sanctificetur Nomen eius. Hinc Hebrei  
 dixerunt olim : כִּי יְהוָה כָּל מַעֲשֵׂיכֶת לְשֹׁם שְׁמֵיכֶךָ

in gloriam Dei. Et R. Iona in Libro Timoris , omnia sua o-  
 pera proponet sibi facere , in Nomine Dei. (c)

(a) vid. Baxters *Wegweiser zur Christlichen Sittenlehre* p. 562.  
 559. 38.

(b) Taulerus p. m. 220. 424. 426. LLS. p. 126. l. r. p. 136. l. 27. Bax-  
 ter cit. loco p. 568. §. 48. & p. 48. Thomas a Kempis de Imit. Chri-  
 sti Lib. III. C. IX.

(c) Matthæi Poli Synops. Critic. aliorumque Interpp. Vol. V. fol. 884.  
 & Vol. IV fol. 437. Spenerus in Comment. ad h.l. Col. III. 17. Eiusdem  
 Evangel. Glaubens-lehre p. 1316. & Sebas. Schmid. Comment.  
 ad h. l.

## §. VII.

Christus enim ille est, cui Pater dedit Nomen super omne Nomen Act. IV, 12. Act. II, 32. 33. Phil. II, 10. (a) (1) quod hic Homo seu Filius Mariae vocatur Deus, & Filius Altissimi (2) quod Humanæ Naturæ Diuina Maiestas, gloria, ac potentia est communicata, quia Nomen apud Hebreos significat rem ipsam, & vocari ipsi est esse, (b) Eph. I, 10. (3) quod Christus etiam secundum Humanam Naturam sit noster Mediator, Redemptor, Sacerdos, ac Rex, suo Spiritu nos regens &c. (c) hinc non sumus nostri, sed illius. Quidquid itaque faciendum, secundum eius, Domini nostri, voluntatem, a nobis tanquam seruis fieri debet, vti seruos dicitur, in Nominis eius fecisse, quidquid facit, quod iussit Dominus, ut haec obedientia fiat ex vera fide, dum certo persuasi sumus, fieri secundum eius mandata omnia, quæ agimus, atque adeo placere Deo per Christum.

(a) Speneri Vertheidigung des Zeugnisses von der Ewigen Gottheit Christi p. 739.

(b) Glassius Lib. IV, Philolog. Sacre p. 877. obseru. 18. Vol. I, Patrum Apostl. Lib. V. C. VII, n. 14.

(c) Ioh. Gerh. Exeg. s. uber. Expl. quorundam Art. p. 1504. §. 309. it. Mart. Chemnit. de duabus Nat. in Christo fol. 130. b.

## §. VIII.

Deinde diximus, in Nominis Christi aliquid agere, idem esse, ac inuocato Eo. Matth. XII X, 20. Precibus enim omnia incipienda, & finienda sunt, ut glorificemus Deum per illum. *Cause ergo*, inquit Thom. a Kempis Lib. III, C. XI, ne nimium innitaris super desiderio praconcepto, me non consulto; ne forte postea paeniteat, aut displiceat, quod primo placuit, & quasi pro meliore Zelasti seqq. Unde etiam Chrysostomus: si namque ad hunc modum egerimus, nihil erit scelesti, nihil immundi, ubi Christus inuocabitur, siue edas, siue bibas &c. Ioh. XVII, 23. Nam sicut Pater, ita & Filius honorandus Ioh. V, 23. Adhæc, nihil sine eo possumus facere; vti ipse Christus loquitur Ioh. XV, 5. (a) licet in eius Nominis aliquid facere nobis proposuerimus.

Hinc

Hinc Saluator se assimilat viti, & fideles palmitibus, qui in (b)  
 eo tantummodo possunt fructus ferre, in quo per fidem  
 adhærentiae manendum: quanquam omnes incipientes in  
 Christianismo non statim hoc agnoscunt, scilicet cum atten-  
 tione & sensu (seu barbare sensibilitate), quod in negotio  
 & operibus sanctificationis omnia in eo sint agenda, ut Disci-  
 puli Christi ab initio non statim in Nomine Christi petebant  
 Ioh. XVI. licet persuasi fuerint, opera illorum in Deo fuisse  
 facta. Fieri namque potest, ut initio quandam quasi rudem  
 conceptum habeamus, ac si in Deo fierent opera nostra, po-  
 stea vero adminiculante diuina gratia experiamur, non nisi  
 per Christum in Deo fixe agenda esse omnia. Discamus er-  
 go, oportet, quod ille sit causa efficiens, (vid. Baieri Comp.  
 Theol. mor. p. 33.) ut est initium, & Dei gloria causa finalis (c). Ex quo Phil. I, ii, vtrumque est, ut sic crescamus in  
 humilitate, experti, quod non sumus apti ad aliquid agendum  
 a nobis ipsis, tanquam a nobis ipsis. Huc pertinet illud Hof.  
 XIV, 9. *in me fructus tuus inueniatur:* Et sic omnes palmites vi-  
 rent Hof. IV, 6. 7. 8. 9. Ps CII, 13. quo magis fructus ferunt,  
 eo magis purgantur, ut adhuc fructus ferant Ioh. XV, (d) Chri-  
 stus etiam se caput dicit, & fideles membra, in quæ semper in-  
 fluit viribus suis, si obstacula remota fuerint; & hoc fit per pre-  
 ces, quæ sunt instar canalis, per quem omnes vires ex Spiritu  
 Dei ad nos deriuantur. Nam sicut anima est vita corporis, sic  
 Christus vita animæ: id circa in nostro Dicto additum legitur,  
*Nomine Christi.* Cur non Filii Dei? ut alibi, Quid significat proin-  
 de Christus? unetus. (e) Est ergo hoc præceptum mere e-  
 uangelicum, Col. II, 19. (f) Fundamentum huius rei est, quod  
 Christus creuerit, idque pro nobis, ut in eo, & per eum, nos  
 quoque crescamus & augeamur. Christus autem pro nobis  
 meritorie, & Christus in nobis per fidem, unus (g) idem  
 que est Christus. Plantatio autem Domini sumus ad glo-  
 rificandum Deum Ies. LXI, 3. Matth. V, 16.

(a) vid. Taulerius in Dom. Palm. p. 425. 426. LLS. p. 122. l. 1. seqq. 127.

in

- in medio p. 84. Richard. Baxters Wegweiser zur Christl. Gitten lehre p. 46. §. 1. 3. seqq. Nicol. Selnecc. Pædag. Christ. P. II. p. 359. b. Speneri Predigten über Arnbs Bücher von wahren Christens thum L. II. p. 47. seqq.
- (b) Macar. Hom. XVIII. §. 1. seqq. Baxter. cit. l. p. 48. §. 3.
  - (c) Thomæ Goodwins Geistreiche Schriften p. 608. 612. 610. 682.
  - (d) Macar. Hom. VIII. H. XV. §. 41. seqq. §. 7. 8. H. XVI. §. 12. Spenerus contra Breuing. p. 1598.
  - (e) cf. Speneri Vertheidigung des Zeugnisses von der Ewigen Gott heit Christi p. 677. 738. §. 12. 14. p. 266. 116. in fine, & ille ipse dicitur Iehovah ibidem p. 464. §. 7. Eiusdem Predigten über Jo hann Arnbs Bücher von wahren Christenthum L. I. p. 163.
  - (f) Spenerus contra Breuing. p. 332. IIII. Goodwin. cit. l. p. 640. Baieri Comp. Theol. posit p. 772.
  - (g) Spenerus cit. loco. p. 136. 1398.

### §. IX.

Atque hoc est illud ipsum, in quod tendere debent aetio nes, nempe gloria Dei. Etsi vero in hac mortalitate fieri non potest, vt in quolibet negotio actu ipso cogitemus de Christi gloria, tamen necessarium est, vt in habitu sit fixum firmumque in cordibus nostris propositum innitendi Christo (a) & vitæ nostræ totius actiones ad eius gloriam referendi. Quin immo & optimum est, vt inter agendum nostras cogitationes actu ad Christum eleuemus. Estque proinde Christus principium actionum Christianarum, sicut est Α. & Ω, primus, & ultimus, a quo, per quem, in quo, & ad quem sunt omnia, qui & initium est, & progressus, & finis salutis nostræ; sic etiam est ille, a quo, per quem in quo, & in quem fiunt omnia, scilicet a Christo, per Christum, in Christo, & in Christum seu gloriam ejus. Ita nempe hic se res habet, vti succus in plantis; quippe qui ex radice in stirpem indeque in palmites adscendit, & ex illis vicissim in stirpem ipsam, ac ultimo tandem in radicem vadit. Si autem dicere quis velit, fidem esse principium; id nobis perinde fuerit. Nam pro obiecto fidei, nempe Christo, dici ipsam fidem, non insolens est in Scriptura e. g. Gal. III. 25. collato v. 24. 22. coll. v. 19. 17. (έλθετης πάντες) (b) non acsi Patres

tres V. T. non eandem (c) nobiscum fidem habuissent, Christus enim idem heri, hodie, & in omnia secula, hinc Christus ὁ ἔχων dicitur Mat. XI, 3. LXX. Exod. III, 14. Ap. I, 8. Gen. XLIX, 10. vid. Spen. Vertheidigung des Zeugnisses von der ewigen Gottheit Christi p. 420. 423. 424. & fides est via Eph. IV, 5. Act. XV, 11. Ioh. V, 39. siquidem Spiritus S. qui est Spiritus Christi 1. Petr. I, eos sanctificavit, & in eis fuit semper, qui tamen non nisi per fidem sc. in Christum accipitur Gal. III, 14. Quidquid ergo non fit ex illa, seu illo, per illum & in illum, non est Christiana actio, sed potius peccatum (d) Rom. XIV, 23. (e) Quanquam enim negare nolo, si quicunq[ue] hic idem posse, quod ex certa conscientia omnia debeant proficisci; presupponitur tamen & hic vera fides. Quis etenim habere potest conscientiam rectam seu certam, sine fide? Scire namque debet, quod, quæ agit aut intermittit, Domino agat, Domino intermittat, non sibi ipsi vivat. v. 6. 7. 8. ibid. Quocirca conclusio fieri potest à minori ad maius, seu ab hypothesi ad thesin. Fides ergo debet esse, si placere velimus Deo nostris actionibus: neque tamen, quod gratum acceptumque Deo est, ideo fuerit meritorium.

- (a) Ioh. Crocius in Epist. P. min. ad h. I fol. 213. a. Thomæ Goodwines Geistreiche Schriften p. 611. 612.
- (b) Ioh. Crocius in Epist. Pauli minor. Tom. I. fol. 95. a. ad v. h. I. 23. b. fol. 69. a. ad v. 25. Luth. Comment. in Gal. ad h. I. vbi fides ventura, Christus venturus &c. sepe alternant. & in Eiusd. Postil. Eccl. am Neuen Jahrstage. Nicol. Hemmingius in Epist. ad Gal. fol. 344. ad v. 23. C. III. Cocecius. in Aphor. Theol. C. X. §. 277. & C. XI. §. 335. circa finem. Gomarus ex Hier. & Ambr. item Ioh. Christoph. Schommeri Exegesis in omnes Epist. Pauli minores p. 17.
- (c) Selne. Pædag. Christ. P. II. p. m. 368. b. 369. coll. 370. b. Gerhard. in Exeges. s. über. Explic. quorund. Art. p. m. 419. Bald. in Com. Ep. Paul fol. 809. a. Aug. Marloratus in N. T. Cathol. Exposit. f. 227. a. 228. Ioh. Crocius c. l. & alii. item Scherz. in Breuarie Hulsemann. p. 677.
- (d) vid. Chemnitius in Loc. P. III. fol. 30. b. in medio, ibidem fol. 17. b. Macar. H. XV. §. V. in fine. Einundem Examen Conc. Trident. P. I. p. m. 537-540, seqq.

(e) Spenerus de nat. & grat. p. 56. 57. Balduinus c.t. l.f. 250. b. qu. 5.  
Spenerus in Thätigen Christenthum p. 588.

## §. X.

Fieri autem non potest, vt ad tempus tantum quis velit operari bonum, & deinceps iterum cessare; cum eiusmodi fides non vera, sed ficta foret: vt pote quæ beatitudinem accipere non potest, siquidem illis modo, qui in fide usque ad finem perseverant, illa promissa est. Matth. XXIV. (a) Quanquam enim sola iustificat, nunquam tamen est sola, seu solidaria, vt aliqui loqui solent, sed semper per charitatem efficax. Gal. V. 6. (b) Lentigradus autem cum somnolentia non conueniunt Christiano in stadio, quod ipsi decurrentium est; sed semper is præsto sit ad nutum Domini, eiusque mandata exequatur, vt fidelis servus, (c) semper omni animi ardore, & quoquis in loco, ac quounque tempore. Etsi nihil ex præcipitantia est agendum, id quod ex peccato foret, atque ita deponendum. Recenset Auctor ille (Baxter) ex Acosta de Indianis, eos tanto zelo esse in superstitione erga Idola sua, vt vix credibile sit. Tandem addit: Videte, qua ratione natura omnes homines doceat, Deum esse, qui intensissimo charitatis affectu, & summa diligentia, ac cura colendus & adorandus sit; nonne ergo veri adoratores Dei in officio suo ac seruitio eo magis ardentи studio, seriaque ac diligenti opera Numen illud Summum prosequerentur? (d) Euangelium enim, seu via Euangelica; non est ita laxa, sed satis stricta, & accurata, immo legali intensior. Quam sententiam comprobare videtur Paulus, quando amorem, ἐνέχειν, constringere nos pronunciat; qui tamen non sine balsamo apud nos sentitur. Quo ipso præcluditur occasio omni laxitati & securitati (e) & negligentiæ: quæ cura eo magis necessaria est, quo certius fomes adhuc indefinenter superest etiam in renatis. Quam ob rem B. Antonius: (f) Nunquam homo bonus est, inquit, etiam si bonus esse desideret, nisi Deus in ipso habitauerit, quia nemo bonus, nisi solus Deus. Oportet ergo, vt nos ipsos semper incusemus, & nunquam lecu-

ri

## ( 27 )

ri simus; semper enim in nobis reliquum deprehendimus, propter quod orare cogimur, dimitte nobis debita nostra. vid. Speneri *Glaubenslehre* p. 868.

- (a) Crocius in Epist. Paul. min. Tom. II. fol. 51. a. Richard. Baxter in den *Wegweiser zur Christl. Tugend- und Sittenlehre* p. 225. 336.
- (b) Baxter cit. I. p. 37. 38.
- (c) D. Baicri Compend. Theol. mor. p. 207.
- (d) D. Maii Synops. Theol. mor. p. 117.
- (e) Mac. H. XV. §. 18. (f) Andr. Musculus in Locis Tom. I. fol. 225. b - 228.

## §. XI.

Christus autem summus ille thesaurus in corde Macar. H. XVIII. §. 5. & 9. non tantum debet esse *principium* in actionibus, ut dicitur, spiritualibus, moralibus, aut in hoc vel illo statu, sed in omnibus. Nam *quidquid* dicit Apostolus, non tantum circa verbum Dei eiusque ultum, respectu precedentium in Textu (de quo in seqq fusiis) sed in vniuersum, videlicet in Vita (a) *Academica*, *Ciuali* & *Oeconomica*, atque omnibus iubetur hoc. Quum enim dixit, τὰ ἀναγνέτε v. 1. 2. nonne ad omnes homines cuiuscunque status aut ordinis id dictum putemus? Nulla ergo status ratio apud Politicos, non vocatio aliqua, apud inferioris conditionis homines, aliæque circumstantiæ qualescunque sint; quicquam valent ad subducendum sese ab hac regula. Nam omnes sunt vocati ad *υπηρεσίαν*. Primaria vocatio hæc est, Matth. VI. 33; secundaria secundum hanc instituenda ac dirigenda est, nec aliquid ulla vitæ ratio detrahere, aut præjudicio esse debet Regno Christi, propter quod Regna mundana conseruantur, & omnes politiæ, quippe cui hæc tantummodo inservire debent, vti videre est ex Prophetâ Daniele. cf. Speneri *Lauterkeit des Evangel. Christenthums*. P. II. p. 583. seqq.

- (a) Aug. Marloratus in *Exposit. cathol.* N. T. fol. 318. b. ad h. l. Joh. Crocius in Epist. Paul. min. fol. 113. a.

## §. XII.

Quod si ergo regula hæc ad eos, qui in statu (a) Ciui li viaunt, pertinet, præter illa, que dicta sunt, perpendendum  
D 2

dum illis esse videtur; annon ipsi etiam in eodem vitæ genero (civili quippe) esse velint Christiani. Audiant proinde Augustinum de Vita Christ. C. VI. *Tu ergo inquit, quomodo Christianus diceris, in quo Christiani aetius non apparent? Nemo enim quodcumque Nomen sine causa fortitur. Sutor ut dicatur, necesse est, ut calceamenta conficiat: ut vocetur quis faber aut artifex, artis peritia facit: ut negocians nuncupetur quis, carius quod emerat distractabis.* Huiusmodi exemplis cognoscimus, nullum sine aetio nomen, sed omne nomen ab actu. Christianus est ille, qui non nomine tantum, sed opere est, qui in omnibus Christum imitatur & sequitur, qui sanctus, innocens, uncontaminatus, cuius in corde malitia non habet locum, cuius in pectore sola pietas consistit & bonitas, & qui neminem nouit ledere, sed omnibus operam ferre. vid. & Leo M. serm. 5. de nat. Christ. p. 89. (a) Fides autem sanctificatio ciuilium operum est, ut labores Davidis etiam in gerendis bellis & administratione domestica opera sancta dicantur in LL. p. 95. 96. 97. Idem iudicium esto de Hiskia, Iosia, aliisque Regibus & Principibus populi Dei. De statu vero Ecclesiastico extra omne dubium posita res est.

(a) Brentius in Luc. fol. 671. D. Buddei Elem. Phil. praef. Tom. III. p. 602. §. 16. LL. S. p. 126. l. 7. p. 84.

## XIII.

Quod ad vitam ceconomiam idem pertinet etiam ad illos, qui inferiores ordinis sunt & infimæ vocationis. In iis quoque hoc principium florere debet, ut omnes illorum actiones instituantur ad amissum eius; siquidem per hec opera Christus triumpitat. LLS. p. 95. (a) Nam & hic status est, & per fidem Deo gratius, atque acceptus, & cultus Dei, omnesque inde fluentes actiones Christianæ. Beneficio huius principii, quod commune est, omnes status inter se ita coagmentantur demum & coniunguntur, ut ex iis unum fiat corpus Ecclesiæ. De quibus statibus seorsim in fine sequentis Cap. ex professio erit agendum. Hic enim nobis sufficerit de iis aliquid dixisse in ordine ad principium, quo ratione actionum inde fluentium illi necessario coniuncti sunt.

(a) LLS. p. 383. 482. 432. seqq. Lutherus Comment. in Ep. ad Gal. p. m. 299. b. Brentius in Luc. fol. 670. l. 10. seqq. Drexelius in operibus suis p. 556. §. IV.

## §. XIV.

## §. XIV.

Valet etiam hæc regula non minus in rebus ad sustentationem corporis pertinentibus, atque adeo (a) in ipso etiam usu creaturarum, secundum ordinem diuinitus institutum, certo hoc nimurum proposito, ut omnia fiant ad gloriam Dei. v. gr. quando cibos capimus, fuisis ad Deum precibus, atque his eos sanctificauimus, fit per benedictionem diuinam, ut deinde vires nostras iterum in laudem Dei & utilitatem proximi impendamus. Non enim reſte utuntur homines creaturis, fed abutuntur, & peccant, qui inordinatum appetitum sequi, nec eum emendare, neque tam ad necessitatem, quam voluptatem, vti illis consueuerunt. Quo ipso certe non aptos, sed ineptos magis se reddunt ad quævis officia aliis præstanta. Quod sane à vero Christiano alienum prorsus esse debet. Nam qui in his minimis iniquus est, & in maiori iniquus erit.

(a) Aug. Marloratus in N. T. Expos. cathol. fol. 129. a. Spenerus in Epist. ad Col. h. l. p. 128. 129.

## §. XV.

Modum ac rationem agendi quod concernit, cum variis casis & circumstantiæ (quæ & principia agendi externa dici solent) dentur, accurato studio discernenda; perpetuo animis obuersari debet, illud Apostoli: Phil. III, 15. τέτο δὲ εἰς ὑπὸ ἀποκαλύψει, quærendo nempe precibus, inquirendo, indagando, cum sollicitudine quadam, ac perscrutando. Nam ad explorandum Diuinam Voluntatem plurimum valet cum Paulo rogare: *Domine, quid me vis facere,* inquit Drexelius (a) *Hic mos sanctorum, in rebus dubiis & perplexis confugere ad orationis præsidium, ut olim Moses & Aaron & seqq. & ibidem: Ita quotiescumque sol diuine Voluntatis oculis nostris subducitur, ut pene quid faciendum sit, ignoremus, proximum est, calum pulsare precibus &c.* Quod dum fit, sèpè numero interea temporis, quo angustati hæsitamus, via nobis ostenditur inde eluctandi. Nam Deus interdum permittit, nos hærcere circa hoc vel illud, hoc vel illo modo (& quidem sèpissime non extra culpam nostram)

ut exerceamur ad nostram utilitatem, collat. 1. Cor. VII, 16.  
 24. non obstante illo i. Ioh. II, 20. ὑμεῖς χειροῦ ἔχετε ἀπὸ τῆς  
 ἀγίας, ἡ οὐδατο πάντα. Nam non simpliciter hoc dicitur, sed  
 relate, ut Gomarus bene notat; restringi enim debet vocum  
 vniuersalitas ex subiecti materia. Sic πάντα i. Cor. IX, 22, &  
 c. XV. 27. ponitur. Intelligit autem in illo loco omnia illa,  
 quæ ad salutem scitu sunt necessaria, & ad vitandos omnes la-  
 queos istius, quod sub nomine anti-Christi venire potest. Quo  
 ipso etiam respicit Apostolus ad officium Christi Summi Sacer-  
 dotis, præfiguratum in V. T. per Aaronom, eiusque successo-  
 res, habentes in pectore τῷ πεπτορale, Exod. XXVIII, 15,  
 cuius beneficio, siue à quo, ipsis responsum dabatur, quod in  
 veritate N. T. apud fideles, in Christo sacerdotes arque Reges  
 factos, suum inuenit antitypum, dum Spiritus Dei per fidem  
 cor eorum inhabitans, ducit eos in omnem veritatem; quan-  
 quam sæpius nobis expectandum est. Nec inde est, vt aliquis  
 cogiteret, inter has moras, & expectationem, vsque dum res euadat  
 manifestior, aliquid interea damni oriri posse. Nam qui  
 ita cogitat, suo arbitratu rem agere præsumit: cum tali casu  
 Deo totos nos dare oporteat, vt Thom. à Kempis bene monet:  
*Dixi tibi sèpissime, & nunc iterum dico: Relinque te, resigna te, & frueris magna interna pace seqq.* Ejusmodi animus semper,  
 eoque tempore, quo necesse ipsi erit, inueniet, quid faciendum. Nam qui adeo liberaliter diuina Voluntati se totum per-  
 mittit, vt nil ardentius cupiat, quam illam in rebus omnibus & nosse  
 & sequi, huius certe vita momentia singula sic à Deo temperatur, &  
 regitur, vt pene in Omnibus videat, quid velit Deus, & vt omnia in  
 suum cedant bonum, inquit cit. Auctor p. 928. a. Et porro: Ita  
 fit prorsus: homo divina voluntati deditus ac deuotus, in cunctis actioni-  
 nibus singulariter manu diuina ducitur, & dirigitur, ad intelligentiam  
 & execuendam Dei Voluntatem. Is enim non concedet,  
 vt damni quidquam ex illa mora oriatur, dummodo illum so-  
 lum ante oculos habeamus, & in eum referamus omnia: quippe  
 qui jam multo ante præuidit futurum eventum. Idem  
 Augustinus: *Statim te, inquiens, inueniat omnis casua.* Vere  
 stat,

*Et omniem calamitatis impetum impavidus excipit, qui suam divine Voluntati iam transcripsit. Stantem hunc inueniant omnes casus. Stantem divina Voluntati adstrictum nulle hostium vires a-vellunt. Sic ille in Ps. LXXXVI.*

(a) in Operibus p. 750, reg. VI p. 929. b. seqq. Thom. à Kempis de Imi-  
tat. Christi Lib. III. c. XXXVIII. c. XXXIX.

## §. XVI.

Omnia itaque iuxta modo dicta fieri debent. Deus enim no-  
bis ἐξορίαν dedit ἴδια θελήματα, & reliquit, ut etiam Spiritus  
Prophetarum Prophetis subiecti essent, durantibus adhuc im-  
mediatis reuelationibus initio N. T. I. Cor. XIV, 32.; attamen  
certæ etiam regulæ nos alligauit, secundum quam ἐν αὐτῷ  
(χριστῷ) conclusionem elicere ac formare debeamus. Si non  
perfectam eius voluntatem statim (uti P. distinguit) adsequi-  
mur, fidelis ille est., & talis manet 2. Tim. II, 13, & ad finem  
tandem iustum rectumque deducet, & ibidem C. XI, II. Ac-  
cedit, quod cum in Philosophia locum habeat ac verum sit:  
Nihil conscientiā dubiā esse agendum; multo magis in Theo-  
logia. vid. Baieri Comp. Theol. mor. p. 157. (a) (b). Cæte-  
rum, quæ haec tenus de quærenda Voluntate Dei dicta sunt,  
non intelligenda volumus de sollicitanda hodienum reuelatio-  
ne immediata, sed de patefaciendo nutu diuino ex agnitione  
verbi Dei augenda, & circumstantiis eo dirigendis, flecten-  
disque animi humani inclinationibꝫ; iuxta Pl. CXIX, qui tot⁹  
de eo agit.

## §. XVII.

Atque ita supereft veris Christianis lucta (a) interdum  
satis acris: siquidem vetus illud agendi principium, caro nem-  
pe, ius primogenituræ ex generatione corrupta affectans, &  
variis rebus irritata, illecebris suis adhuc tentat hominem..  
Rom. VII, 23. Gal. V, 17. In conspectu Domini proinde ma-  
nendum, qui dicto modo beneplacitum suum aperiet, ἀποκα-  
λύψει, adhibitis scilicet mediis ordinariis, insistendo precibus,  
& vigilante, ac verbum Dei meditando. Cæterum, vti Bern-  
hardus (β) inter has vicissitudines inquit, plerumque mens flutu-  
at, metuens & verbener exstуans, ne forte alteri horum, dum suis  
scit.

affectionibus hinc inde distractabitur, plus iusto inhereat, & sic in vitro-  
liber vel ad modicum à diuina deniet Voluntate. Unicum quippe  
in huicmodi remedium vel refugium oratio est, & frequens genitus  
ad Deum, ut quid, quando, & quatenus nos facere velis, assidue nobis  
demonstrare dignetur. Idem commendant LLS. & addunt:  
*Nisi enim Dominus ipse Doctoris & preceptoris officio fungatur, nihil*  
*eorum, que ipsi grata, nobis autem vel aliis salutaria sunt, disce-*  
*mus.* (γ) *Felix ergo*, dicit Thom. à Kempis, quem veritas per se  
docet. (δ) *Multa sane sunt, quae hominem à regia via mandato-*  
*rum Dei auocant, hinc Ps. CXLIII. v. 10.* *Spiritus tuus bonus*  
*deducit me in viam rectam, propter Nomen tuum, Domine.*  
*Prov. XVI. 9. Ier. X. 23.* *Nam appropriative opus hoc com-*  
*petit Spiritui Sancto.* vid. Bald. in Ep. Paul. f 842. 655. b.

- (α) vid. Baieri Compend. Th. mor. p. 80. §. 5. Joh. Arnd de Vero Chri-  
stianismo. L. I. C. XVI. Bald. Comment. in Ep. Paul. f 838. 842. §. 5.  
309. b. Eiusdem Th. posit. art. 100. & p. 250. q. 5 Maius in Synops.  
Th. mor. p. 86. §. V. Goodwins Geistliche Schriften/ p. 621. seqq.  
(β) in Th. didascal- mor. p. 538. §. 3. (γ) p. 660. 668. (δ) de Imit.  
Christi L. I. C. III. §. 1.

### §. XVIII.

Quæ lucta efficit, vt fidelis humiliter de se sentiat, de suis  
potius, quam aliorum actionibus sollicitus. Non enim po-  
test homo sine frenis esse, cum alias illius libertas, seu potius  
licentia periculosa foret, qua ad iudicandum de aliorum actioni-  
bus proclivis est: (α) id quod à Vita Christiana, & sanctis  
moribus plane alienum, eo ipso, animus se proderit non satis  
humilem, neque attentum, nedum castigatum esse ad iudicii  
rationem tempestive præstandam, vt hinc ne ullo quidem  
modo fidem mereretur.

- (α) Matth. VII. 1. seqq. Macarius H. XV. §. 37. & 8. Hier. Drexelius in  
Oper. p. 662. Thom. à Kempis L. I. C. XIV. L. III. C. XXV. §. 3.

### §. XIX.

Sub directorio Christi autem & eius Spiritu pacem con-  
seruat Christianus in suis actionibus, tanquam certissimum  
documentum Veritatis, quæ in Christo est, secundum Chry-  
ostomum Hom. XXXI. in Epist. ad Hebr. & Augustinum  
Serm. II. ad fratres in eremo: *qui pacem cordis, oris, & operis*

non

*non habet, Christianus dici non debet; inter terrors autem erigitur & consolationem accipimus LLS. p. 134.*

## §. XX.

Quam ardua res fides sit, (a) patet, seu Christum habere principium agendi, quæ coniuncta est cum eiusmodi ὑπομονῇ, & excludit omnem respectum, quounque nomine aut titulo veniat extra Christum; quin immo omne, quod vult homo, tanquam homo, ut vera abnegatione sui solummodo à nutu eius dependeat. (b) Praxis quidem est euangelica, sed valde seria circa conditionem hanc, nempe fidem, sine qua non placere possumus Deo Hebr. XI, 6. Rom. XIV, 23. (c) Hic certe est ἐνī illa porta, (d) paupertatis spiritus necessaria, in qua etiam indole deinde semper manendum: & sic omne πλαγιάζειν exspirat, vt, quo magis voluntatem Dei cognoscit homo, eo magis fiat humilis. Bene Macarius hac de re docet ταπεινός, inquiens, ἀδέσποτος πίπτει, πόθεν γάρ πεσεῖν ἔχει, ὑποκατώ πάντων ὁν; Hom. XIX. §. 8. H.XVI. §. 1.

(a) conf. Speneri Lauterkeit des Evang. Christenthums P. II. p. 16. seqq.  
(b) LLS. p. 134. Drexilius in oper. p. 747. Thom. à Kempis de Imitat. Christi C. XXXII. §. 3. L. III. ibidem. C. L.

(c) Macar. Hom. XV. §. 5. Chemnit. Loc. P. III. fol. 17. b.

(d) Col. II. 12. 13. 2. Th. III. 2. LLS. p. 124. 1. 25. seq. p. 365. 1. 12. p. 86. 116. seqq. 108. 109. Chemnit-Lyier. Harmon. Euangel. f. m. 855. b. Salomon van Till in Match. p. 275. Robert Boyle H̄imlischer lies bes Triph. p. 90. 91.

## §. XXI.

Hoc observato, rerum euentus prospere succedat oportet, &, ut finis terminetur in gloria Dei. Etsi fortasse quoad speciem externam non ita appareat, manendum tamen in fide, dummodo ex hac tanquam principio negotium factum fuerit. Quod ipsum ex eo animaduertitur, quando tranquilli & quieti omnem in partem perseveramus, vt, quounque modo res ceciderit, fidei tamen nihil exinde detrahatur. \* Si autem non optatus actionum nostrarum enetus sit, inquirendum, an fides in Christum, verum fuerit principium ex quo: num à parte nostri defectus sint seruum precum, fiducie in Deum, curae, circumspetionis, dilig-

E

gen-

gentiæ &c. Quod si testis conscientia in his nobis adsit, recte fese habere omnia; etiam illud cedet in gloriam Dei; nam est tentatio, & nihilominus tamen aliquid boni inde aliquando eueniet. Ast fieri potest, vt ipsi in culpa simus, & natura nostra corrupta fuerit principium, vel saltem immiscuerit se, (i) quo evitato, certiores de prospero euentu esse potuerimus. Cæterum Deum diligentibus omnia cooperari in bonum, vt Apostolus testatur. Rom. VIII, ita si non prius, certe dies extremus patefaciet.

\* vid. Spenerus Tract. de nat. & grat. p. 52. 53-59. seqq.

### §. XXII.

Natura quidem manet (a) etiam in regenitis sed non quatenus corrupta, operandi principium est; neque cessat agere, sed Christo inhabitante illi agunt per fidem, quippe qui divinæ indolis facti sunt participes. 1. Petr. I, 4. Siquidem non potest eo in statu, quem nos nunc supponimus, actio fieri absq; omni concursu virium naturalium, sed iam iam purgarium, sive sanctificatarum, & subordinatarum, vt Christus, seu Spiritus eius per illas, & in illis agat. LLS. p. 674.

582.

(a) Spenerus de nat. & grat. p. 3. 4. seqq. D. Maius in Synops. Theol. mor. p. 83. §. IV.

### §. XXIII.

Quantumvis autem dixerimus, vbi gratia est, remanere adhuc in regenitis naturam, nequaquam tamen propterea neutralitatem quandam, vti vocant, intellectam ullo modo volumus. Vel enim sub ratione principii eam ita appellent; frusta affirmabunt, quod ex gratia agant; Cum enim natura quatenus corrupta est, in ipsorum actionibus directorum atque dominium habeat, specioso gratiæ titulo tantum superbire videntur. Non tamen diffitemur, fieri posse, vt aliquid saltem gratiæ subinde illos afficiat, quam quidem in favorem naturæ depravatæ, atque ex philautia, dominari non permittunt; alias tam temere ac secure, *neutralitatis* vocem usurpare non possent. Vel etiam eam intelligent in ordine ad Christianismum ipsum, vt per illam Deum & mundum

vni-



vnire, ac utriusque simul seruire cupiant, 2. Cor. VI 14. 15. 16.  
 Pf. XCIV, 20. \* Quod licet expressis verbis non profiteantur, debebant tamen intimius magisque serium ad Christi regulas examen secum instituere, secundum illud Domini Luc. XI, 23. *Qui non est mecum, contra me est; & qui non congregans mecum, dispergit.* Sin denique ad diuersos visibilis Ecclesias cætus in orbe Christiano respiciant, quorum nulli se adstrictos esse voluerint: hoc prætextu indies non solum ab ipsa veritatis cognitione illos aberrare, sed etiam maximis ignorantiae tenebris inuolui necesse est, ut verum deinde videantur haud valeant. Aliud autem prorsus est, quando Apostolus 1. Cor. IX, 19. 20. 21. 22. συναταξάσει quadam omnibus factus est omnia, ut nimur emendaret eos, & omnino aliquos saluos faceret: id quod illi *neutralisſe*, (ut ita loquar) neque sciunt, neque intelligunt. Nam ipsi sectarium animum atque spiritum vario modo satis produnt, quando commodum (& ut barbare liceat loqui, interesse) illorum pro diuersis temperamentorum inclinationibus aliisque circumstantiis, temporum, status &c. aut alitur, seu fouetur, aut læditur, ut inde & status & principium, ex quo talia profluunt, appareat. Verus Christianismus autem, uti purum habere debet principium in agendo, nempe Christum solum, sic deinde in actu exercito puritatem retinebit; & quamuis initio aliquid scoriarum atque impuritatis cultoribus, admistum esse deprehendatur, indies tamen, ut variis tentationum ignibus magis magisque purifcentur, perpetuo ipsorum fidelium animus est. Quod reliquum est, et si hæc, quæ de *neutralitate* modo protulimus, aliena quadam tenus videri poterant à praesenti negotio, subiicere tamen certos modos *neutralitatis* placuit, qui occasione tantum huius vocis mihi occurrerunt.

\* cf. Speneri Lauterkeit des Evangel. Christenthums P. II. p. 395.

#### §. XXIV.

Dari potest agentium diuersitas circa actiones, licet omnes unum idemque principium habeant. Gratia enim non tollit naturam sed secundum temperamenta (ut vocant)

hominum actiones suas in officina illa certo modo instituit: Ex quo multiplex Dei Sapientia agnoscitur, idque ita, ut tamen in fine unitas perspiciatur. Habet quisque pecuniae quid; agat proinde quisque, quod ipsi agendum competit, & uestimenta veniant, & opus manifestabitur. Hoc videmus in sanctis Scriptoribus, quam variis fuerint temperamentis: id quod sermo & stylus eorum, item actiones satis indicant, e.g. vide Paulum & Iohannem, qui diuersæ fuere indolis, & tamen utrique ex uno, ad unum & in unum fecerunt omnia. Eo tendit visio Ezech. C. I. & IX. cf. Macar. Hom. I. §. 1. seqq. & quatuor *Q̄ow* Apocal. quæ, licet diuersa, tamen conueniunt. Sic secundum speciem potest fieri, ut quis actiones edat, quæ videntur, quoniam hoc vel illo modo non sunt, principio illo destituta, & tamen res ita se non habeat. Unde grande peccatum est (a) statim iudicium ferre: fortasse Christum lædis in ipsis membris. Præterea à nemine spiritualis iudicatur, quia spiritualia sunt spiritualiter diiudicanda; nullus proinde mundanorum aliquem in spiritualibus iudicare potest. I. Cor. II. 14. 15. coll. v. 2. Ioh. VII. v. 24. LXX. Prov. XVIII. 25. Sirach. XXXII. 16. 17. in gr. vid. & supra §. 18.

(a) Macar. Hom. IX. §. 8. Ioh. Brent. Comment. in Matth. f. m. 349. 350. seqq. Tauler. über die Sonnitage p. 934--937. 949. 575. 576. Eiusdem Nachfolge des armen Lebens Christi p. 82. p. 113. alii. §. 156. p. 205. Salomon. van Till. in Matth. p. 256. 257.

## §. XXV.

Potest etiam accidere, ut illud principum nubeculis quibusdam obducatur interdum; ut fideles eo quoad sensum destituantur: sed à defectu sensus, seu perceptionis & sensibilitatis (ut ita loquar) ad rei absentiam, non valet consequentia. (a) Alio tempore iterum radios gratia ostendet (b) & si opus, & animæ illorum id utile est, multa luce se manifestabit. Ioh. XX. 11--13--16. Luc. XXIV. 13--15. 16--28--31. Cant. I. 6. 7. C. III. 1--4. C. V. 3. 5. 6.

(a) Spenerus de nat. & grat. p. 256. Eiusdem Lauterleit des Evangelischen Christenthums p. I. p. 658--660, b=664, a.

(b) Heins

(b) Heinrich Ainsworth über das hohes Lied Salomonis p. 99. 100. seqq  
147-154.

## §. XXVI.

Re vera possunt aberrare ab isto principio fideles, sed prescripto ordine vtentibus parcat Deus, vt pater filio suo, qui ei seruit. Ies. LXV. (typus Deut. XX, 19.) Nihilominus, si deliquerint, castigationem paternam sibi is reseruat, & sati se uere nonnunquam castigat eos, \* tamen vt Pater; aliquando etiam seuerius, quam alios. Nam tota Historia cum Biblica tum Ecclesiastica usque ad hodiernum diem testatur, Sanctissimum Numen in suis scandalis tolerare non posse; quemadmodum sapiens γεωγός de vite abscondit, quod impurum est, ne cæteris palmitibus periculum impunitatis & putredinis eo ipso imminentis sit nocumentum: vt videlicet eorum exemplis edocti alii fideles cautius mercari discant.

\* cf. Goodwins Geistreiche Schriften p. 630-626.

## §. XXVII.

Cæterum si actiones non ex hoc fonte fluunt, libero quippe ac spontaneo spiritu, non sunt Christianæ. Sic plane alias causas habebat castitas Iosephi, quam Scipionis. Ex quo patet differentia inter *Theologiam moralem & Philosophiam gentilem*. Hæc enim vitam hominis informat, & docet, quomodo desideria sensualitatis aureo rationis freno coercantur, ne erumpant in actum: quando homines meliora vident ac probant, deteriora vero sequuntur, quam pugnam etiam Ethnici agnouerunt. Illa vero vitam hominis Christiani informat, docetque, quomodo ea non tantum ciuiliter bona esse, sed & Theologicæ Deo placere, atque adeo omnia diuinæ voluntati apprime consentire possint. \* Quod autem agnoscit Philosophia principium? rationem: Quibus mediis seu viribus? Lberi Arbitrii. Quem habet finem? gloriam Dei quidem dicunt, re ipsa autem semet ipsum homo respicit in omnibus. Quid ergo inde proficisci potest, quam actiones apparenter tantum bona? \* vid. Index Balduin. in Epist. Paul. Comment, generalis Ioh, Olearii f. 284. a. §. 4. obseru,

Nullus proinde veras edere potest actiones Christianas, qui non ex hoc agit principio. Nec potest aliquis saltem officio suo in mundo, ea, qua pars est, fidelitate, fungi absque hoc. Nam id, quod in eo faciendum ipsi est, eidem sibi reliquo tantum cedit in Legem; quippe qui occasionem inde sumit, eo magis istud faciendi, quod non debet, quodque alias fortasse nec faceret, iuxta illud Apostoli Rom. VII, 13. *Accidente Lege, peccatum magis sit peccans.* Siquidem si oculus non rectus, quantæ erunt tenebrae? Recte Ioh. Brentius (a) totam hanc rem exposuit; Præterea, inquiens, *vbi est fides, ibi est sanctificatio omnium ciuilium operum in Magistratu, in artificiis manuariis, in negotiis domesticis, atque adeo in omnibus personarum vocationum operibus.* Martha seruit Christo ornando domum & parando cibum. Quanquam autem displiceat Christo tumultus & nimia cura Marthæ, placent tamen ipsi domesticæ eius negotia. Vnde ergo placent? num quia apparent honesta & composita? hoc quidem nonnihil est, sed nisi Martha ipsa placeret Christo per fidem, tantum abest, ut delectaretur officiis eius domesticis, ut potius ea abominaretur. Si enim abominatur sacrificium, si ipsam etiam orationem, que est absque fide, abominatur, quanto magis &c. & ibidem: *Iaque fides non tantum est fons omnium virtutum, sed etiam est sanctificatio omnium officiorum, que personali vocatio exigit.* Vbi autem non est fides, ibi nec est remissio peccatorum, nec placatus Pater in celo; ibi satan dominatur, ibi nulla sunt bona virtutes, eti species quedam virtutum emicet; ibi omnia sunt maledicta & damnata & seqq. (b) Hinc & Bernhardus optime iudicat, dicendo, *quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem, Christum, ignoratis?* Vbinam vera, queso, prudenter? nisi in Christi doctrina. Vnde vera iustitia? nisi in Christi misericordia. Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? &c. (c) Multo minus actiones seu virtutes Ethnicorum, eti splendidissimæ, Deo placent, sed propter defectum puri principii coram eo & iudicio eius peccatum sunt, (vti supra ostendimus) quanquam Deus ex imensa sua bonitate, secundum peculiarem suam oœconomiam, easdem

dem remuneravit, præsertim in tempore & in temporalibus. Sic omnino eiusmodi virtuosus Ethicus Christianum, quoad nomen tantum talem, pudefaciet aliquando; & melius illi erit, quam tali Christiano, quia æterna damnatio gradus agnoscit, vti Christus: terræ Sodomorum & Gomorrhæorum tolerabilius erit in die iudicii, quam &c. Matth. X, 15. Vnde enim bonitatem accipiunt actiones, vt bona vel mala, idque an minus vel magis tales sunt? quam ex conditione agentis, seu principio agendi, & interno illo, & externis, atque ita ex ipsis animi inclinationibus. Matth. XII, 33-37.

(a) in Evangel. Luc. Hom. XCV, fol. m. 67r.

(b) LLS. p. 84. l. 3. seqq. p. 126. l. 7.

(c) in Theol. Didascalico-moral. p. 756.

### §. XXIX.

Deniq; sequitur ex hisce, subiectum in hac materia non esse modo informandum ex Philosophia practica, vt Ioh. Olearius obseruat, (a) quæ alias loco suo relinquitur, vna cum vsu haud contemnendo. Nobis enim h̄c non sermo est, de homine ethice perficiendo, sed Christiano, cuius vita secundum regulas Christi, tanquam normam, ex hoc ipso, de quo diximus, principio, quæ ei plus, quam omnis Lex est, instituenda. Hinc arbitrium prius liberatum sit oportet, vt ita contrarietas rationis & revelationis tollatur; Postquam enim ratio fuerit sanata per accessum penitentiale ad Christum medicum, sicut & principia saniora, & harmonia inter rationem, quippe quæ etiam à Deo est, & reuelationem inuenietur expeditius, sine qua ad scopum peruenire nunquam datur.

(a) in Indice Balduin. in Ep. P. Commentarii generali f. 284. b. §. 10.

### CAP. III.

## De Actionibus, earumque moralitate.

### §. I.

**R**estat, vt de ipsis actionibus Christiani hominis adhuc dispi- ciamus. Etsi enim iam supra de subiecto, nec non de principio earundem ita egimus, vt interdum illas quoque attigerimus, proindeque ex eo, quæ illarum ratio sit,

fit, satis constare queat: ut tamen distinctius euoluantur omnia, operæ pretium esse duximus, in peculiari Capite de illis tractationem instituere.

### §. II.

Vtitur equidem Apostolus vocabulo ποιῶν facere, quod alias non omnino idem quod agere est; attamen hic loci illud omnes actiones hominis complectitur, cum internas, tum externas, omnesque adeo actus, immo etiam actuum omissiones. Dicit enim πᾶν ὁ, τι ἀν., ποιεῖτε ἐν λόγῳ ή ἐν ἔργῳ &c. Loquitur vniuersaliter, & quidem ἐξηγητικῶς, πᾶν ὁ, τι ἀν., omne, quocunque etiam fuerit. Et cum addat, ἐν λόγῳ, λόγῳ vero humanus aliis sit προφητικός, aliis ἱεραθετικός, orationem & rationem notans, omnesque operationes eius, idque ita, ut ἔργῳ λόγον opponat: nullum sine dubium est, quin de omnibus omnino actionibus, quas modo diximus, loquatur Apostolus, easque fieri velit in Nomine Domini Iesu.

### §. III.

*Actio in genere* tam late nobis capitur, ut non solum quemvis motum designet, à quauis facultate oriundum, sed ipsam quoque actus aliquius omissionem, quippe quæ licet in se actus positius non sit, eum nihilominus tamen vel supponit vel coniunctum habet, tanquam causam & occasionem omissionis interiorem, atque ita & cogitationes multo magis nos includere, appetet.

### §. IV.

Duplex isthæc actio est, humana, & Christiana. Illam non nulli etiam ab actione hominis discernunt, quam homo cum brutis & plantis communem habet, vt neque virtus neque vitium propriæ illi insit: Quanquam Danæus Lib. Eth. Christ. Cap. IV. hanc distinctionem inuero ordine explicet. Talis actio v. g. est; nutritio, augmentatio, generatio, & quidquid præterea à causis mere naturalibus & necessariis ita proficietur, vt moralitatem non habeat. Vbi tamen caendum, ne cum actionibus hisce mere naturalibus confundantur, quæ ex parte saltem rationi subiectæ sunt, eiusque directionem sequuntur.

§. V. *Actio*

*Actio humana est, quæ prælucente intellectu & decernente voluntate suscipitur, sive immediate inde proveniat, sive mediate, per inferiores potentias & facultates superiorum directioni subiectas.* Ut adeo hoc pertineant omnes actus intellectus, Voluntatis & appetitus sensitui, eliciti vulgo dicti; nec non illi, qui ministerio corporis organici producuntur, ac imperati dici solent: proindeque illi, actiones *interna*, hi vero *externa* recte appellantur. Quæ vicissim à nonnullis dividuntur in actus oris, operis & gestuum quorundam. Sic de gestibus loqui videtur Christus, qui iudicio obnoxium pronunciat, fratri suo Νῃ dicentem (a) Matth. V, 22. Actuum omissiones cum aliquatenus & ipse aliquid positui sint, & propterea actionibus accensendæ, vt paulo ante ostendimus; idcirco neque hic à nobis excluduntur, vid. 2. Cor. VI, 14. 17. 2. Tim. II, 7. 9. Luc. XXI, 34. 1. Ioh. V, 21, vbi cauere sibi à malo, & declinare illud, renati iubentur.

(a) Hiob XXX, 10, vld. Chemnitii Harm. Euangel. Cap. LI. p. m. 727.  
Glasfii Phil. Sacr. L. I. Tr. IV, sect. 2. Can. IV. p. 234.

Cum humana actione etiam *Christianæ* conuenit, quoniam & ipsa quoad materiale suum, *humana* est; quodsi vero specialius, prout *Christianæ* perhibetur, adeoque quoad formale consideretur, plurimum discriminis hanc inter & illam intercedere, nullum est dubium. *Actio humana* principiis ordinis communis originem suam debet: Vnde Aristoteles recte quidem in Ethicis Nic. Lib. III. Cap. 5. pronunciauit, videri hominem actionum suarum esse principium; Verum enim vero nobis Christianis haec minime sufficiunt. *Nostra actiones* longe sublimioris ordinis & originis esse debent. Licet enim nec illæ sine homine fiant, quippe cum tali modo ne quidem humanæ dici mererentur; illorum tamen principium non in homine, sed in Deo ipso quærendum est. Erit itaque *Christianæ actio*, quæ ab intellectu quidem & voluntate, certe risque agendi facultatibus, profecta peragitur, illuminatis tam

men, & peculiari gratia sanctificante, seu peculiari Spiritus Sancti auxilio adiutis. Ex quo perspicuum est, illorum actiones, Christianas non esse, qui nominet enus tantum Christiani sunt, μόρφωσιν pietatis (ένσεβίας) habentes, ipsa autem vi & efficacia illius destituti; 2. Tim. III. 5. nec sufficere, si obiectue tantum videantur Christianæ esse actiones. Similiter spirituales ab obiecto tantum dictæ, mere abusivæ vulgo appellantur; nec non horrendus est ille abusus (a) Nominis Dei Summi, quando apertam Librorum tituli ostendunt inscriptionem: *In nomine Iesu*; cum nihil minus forte in iis reperiatur, quam ut ille sit eorum principium iuxta C. II. tradita. Illam autem quam dedimus descriptionem opponimus Pelagianis, quippe qui statuere, ut adhuc nonnulli statuunt, integras esse Liberi Arbitrii ac sufficientes vires ad principium boni operis, ad progressum, & ad perseverantiam in eo, tam quoad velle, quam quoad perficere; (b) ita ut gentilium quoque opera illis dicerentur fuisse vere bona, & Deo accepta, edita licet sine gratiæ adiutorio: sicuti mentem illorum exponit Augustinus plurimis in locis. Accensendi illis sunt Jesuitæ pelagianizantes, quos pari Zelo insequitur ac refellit Iansenius, εν παρελλήλῳ erroris Massiliensium (Pelagianorum à loco sic dictorum) & opinionis quorundam recentiorum. Cap. III Not. 43. fol. 459. b. 460. a. b. ubi verba eorum citat, vid. & Not. 51. f. 463. a. 465. a. b.

(a) cf. Ignatius in Ep. ad Ephes. §. 7.

(b) vid. Spanhemius in Introduc. ad Hist. Eccl. Sect. V. p. 479.

### §. VII.

In hac controuersia diiudicanda minus feliciter versantur, qui unice principiis Aristotelis & Auerrois contenti sunt. Non ad vires tantum & facultates, sed præcipue ad virtutes & perfectiones, potentissimis illis superadditas respiciendum, ex quibus immediate & proxime veluti ex fonte quadam, actiones propullulant, quæque in regenitis & irregenitis maxime diuersæ sunt. Quin immo irregenitis proprie sic dicta virtus, hoc scilicet respectu Theologico, ne tribui quidem

dem potest. *Virtus enim vti à B. Melanchtone plane & perspicue describitur (a) est habitus, inclinans voluntatem ad obedientium recte rationi.* Quæ vero in hominibus iregenitis rectitudo rationis est? omnes vires ita in iis corruptæ sunt, ut non nisi ad malum possint propendere Rom. III. 10. II. 12. Quod si vero aliquo saltem modo propter qualemcumque conuenientiam, et si valde inæqualem, vires agendi apud iregenitos in rebus naturalibus, coactua consuetudine quodammodo facilitas atque perfectas, virtutes appellari posse concedamus; illa tamen qualiscunque cum vera & proprie sic dicta virtute conuenientia non permittit, vt statuamus cum aliis, gradu tantum differre virtutes Christianas à virtutibus Ethicis & Philosophicis, ac ciuibus, ita vulgo dicitis. Sic Keckermannus: *Eft, inquit, inter virtutes Ethicas & Theologicas distinctione graduum, ita, ut quod deest virtutibus Ethicis, id per disciplinam Theologicam addatur & compleatur; & paucis interiectis: non aliter se habet virtus moralis ad spiritualem, quam se habet tempor ad ferorem & lux matutina ad lucem meridianam.* Sicut ergo tempore est verus calor, et si non sit tantus, quantum est fero; & sicut lux matutina est vera lux, et si non tanta, quanta meridiana: ita virtus moralis est per se vera virtus, & verum bonum, et si non sit tanta virtus & verum bonum, quanta virtus, & quantum bonum spiritus Iesu Theologicum. (b) Vid. etiam Timplerus Lib. I. Ethic. c. II. probl. 8. qui eadem vestigia premit.

(a) in Epitome Philos. moral. p. 28. (b) in præcogn. Ethic. §. 13.

### §. VIII.

Nos vero, ob defectum (in mere Philosophicis) causarum, tam internarum, quam externarum, eas prorsus specie differre à Theologicis asserimus. (a) Nimirum actiones Christianæ in genere cum humanis conuenire videntur, quod utræque actus sint morales, eliciti à Voluntate, sed si secundum speciem spectentur, actiones Christianæ supernaturales sunt, eaque propter supernaturalis principii quoque indigè, quod solus Spiritus Christi est, in renatis habitans, & gratia sua eosdem sanctificans: quo respectu actiones mere hu-

manæ toto cælo ab iis recedunt. Quod si iam secundum totam suam & completam rationem easdem illas actiones Christianas nobis proponamus, actiones sunt, cum certa quædam adsoctione, Dei nempe & hominis, coniunctum habentes principium, voluntatem nempe humanam, viribus non sibi propriis, corruptæque naturæ relictis, sed à gratia suppeditatis, operantem: quo sensu equidem Deo, hominique adscribendæ sunt: atque ita quidem etiam humanæ sunt, ab humanis tamen pure talibus quam maxime diuersæ: siquidem in his voluntas plane depravata est, atque corrupta; in illis vero ad primævam iustitiam reparata. Quam ob rem etiam in primo Cap. hominem non in statu naturæ corruptæ & quatenus irregenitus est, sed in statu gratiæ consideratum prouti regenitus, iustificatus & illuminatus est, subiectum actionum Christianarum constituimus.

(a) vid. in primis B. Meisnerus in Philos. sobria P. I. sect. 2. C. II. qu. 3.  
§. IX.

Ut magis in proposito posita sint omnia quæ discrimen actionum humanarum & Christianarum attinent, harum in primis habituale exercitium expendendum venit. Ex parte intellectus ita sese exerunt, vt in cognoscendo & dijudicando ea quæ agenda sunt, fundentur in diuina reuelatione, à qua mens agentis talismodi habituali notitia inbuta est, vt suo quasi pondere feratur ad concludendum illa, quæ in reuelatione diuina continentur. Naturale quidem dictamen intellectus practici in renatis non tollitur, quia tamen illud cum irregenitus commune habent, propriam cognitionis practicæ rationem hic tantum attendimus: Et quod speciatim ad actus intellectus pertinet, illis sic inde pendent, vt intellectus iudicet & dictet, propterea hæc vel illa esse agenda, quia Deus per Christum reconciliatus, in verbo suo illa præcepit: prouti de eiusmodi actionibus Apol. A. C. loquitur p. 85. Cum auditio Euangeli & remissione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum Sanctum, ut iam recte de Deo sentire possumus, & timere Deum, & credere illi.

§. X.

Ex parte Voluntatis actiones Christianæ ita fiunt, vt volunt-

Iuntas ea tantum persequatur & fugiat, quæ ex revelatione divina sub ratione boni vel mali, prævia intellectus illuminati cognitione ipsi se offerunt: idque ita, ut per se iam vi eiusdem luminis in ea propensa & inclinans, simul atque ab intellectu ipsi tale quid exhibitum, vel actu appetitivo, aut auersatio se exerat. Atque isthac omnia ideo vult agere, quia homini regenerato, cum Deo per Christum reconciliato, & ad Christianam sanctimoniam vitamque æternam, eiusque promissa bona tendenti, ita prorsus agere par est. Quod ipsum iterum docetur in Apol. A. C. p. 83. 84. Non diligitur Deus, nisi postquam apprehendimus fidem misericordiam, ita demum sit obiectum amabile. Quo & referri possunt verba antecedentia: postquam fide iustificati, & renati sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere, & expectare ab eo auxilium, gratias agere & predicare, & obedire in afflictionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda habent spirituales, & sanctos motus.

## §. XI.

Quemadmodum autem appetitus rationalis operaciones, actiones Christianæ sunt, ita etiam vere se habent illæ, quæ ab appetitu sensitivo proueniunt. Quanquam enim hic per se non est rationalis, cum tamen rectæ rationis capax, & in homine regenito sanctificatus sit, remotis omnibus impedimentis, quæ inordinatum eum alias facere & poterant & solebant: ille etiam iuxta Dei voluntatem cum omnibus motibus suis atque adfectibus directioni superiorum virium, Spiritu Dei sanctificatarum, se submittit, earumque dictum ita sequitur, ut virtute Spiritus Dei per se etiam in id ipsum inclinet.

## §. XII.

Actiones etiam Christianæ sunt in homine regenito reliqui motus omnes, à quibusuis facultatibus corporis proficiientes: Homo enim Christianus Spiritu & corpore atque adeo totus Deo obligatus est, quippe cuius corpus templum est Spiritus Sancti, 1. Cor. III, 16. in illo habitantis, (a) qui que glorificare debet Deum etiam corpore suo 1. Cor. VI, 19, 20. collato C. III, 16. Primæ & præcipue partes sunt Spi-

ritus, qui offerre semetipsum debet, & totum corpus, tanquam viettimam viuam Rom. XII, 1. & omnia membra siftere serua iustitiae Rom. VI, 19. Eo igitur ipso, dum Spiritus se, corpusque totum offert Deo, actiones eius vere Christianae sunt, & cultus eius rationalis & verus est Ioh. IV, 13. Recte enim Ioh. Cocceius hac de re pronunciat, *vt solo*, inquit, *ore Deum honorare Deo mentiri est;* (b) Pf. LXVI, 3, coll. Ief XXIX, 13. ita nullo membrorum obsequio Deum colere, est spiritualiter mortuum esse. At corpus ad concupiscentias mortificatum, non tantum externi cultus, sed multo magis verarum virtutum actibus exercere, vite & Spiritus Deo agglutinari indicum est.

(a) Speneri Predigten über Johann Arndts Bücher von wahren Christenstethum L. I. p. 12--15. L. III, p. 35. seqq. 48. p. 592.

(b) in Aphor. Theol. de fœd. Dei C. I. §. 9.

### §. XIII.

Hic obseruari meretur, variis in locis Scripturam sacram quando partes hominis earumque vires agendi exprimit, ita de illis loqui, vt id, quo cognoscit & iudicat, voce cordis & Spiritus, id vero, quo aliquid vel appetit aut fugit, animæ (a) appellatione designet. vid. Deut. IV, 29. C. VI, 5. 1. Th. V, 12, Hebr. IV, 12. Unde nunc spiritualis, nunc animalis recte appellari posset. Solet tamen in sacra Scriptura totus etiam homo animalis dici, quatenus adhuc in peccatis & irregenitus est: Homo enim animalis non percipit ea, quæ Spiritus Dei sunt, quoad omnes vires tam superiores quam inferiores, cum non nisi ad malum propendeant. Cui spiritualis homo opponitur, homo regenitus, & ex statu peccati in statum gratia translatus, qui cum quoad Spiritum, animam & corpus sanctificatus sit, totus etiam spiritualis esse debet, vt omnes eius vires & facultates animæ & corporis a motibus Spiritus Sancti, in ipso excitatis, dirigi se patiantur, ductumque eius adeo lequentes, vt actiones illius omnes, siue internæ siue externæ fuerint, Christianæ existant.

(a) vid. Cocceius de fœdere dei C. I. §. 10.

### §. XIV.

Vidimus haecenus habituale actionum Christianarum exercitium quoad omnes vires, virtutesque illas perficientes, idque ideo, ut illarum ratio ac indoles tanto fieret conspectior, simulque pateret, quid respondendum sit Pelagianis, ceterisque omnibus, qui aliquo modo illis adstipulantur. Omnia hic fieri audiuius à gratia cooperante seu prorsus adiuuante Spiritus Sancti, seu vsu virium, non Libero arbitrio post lapsum naturalium, sed supernaturalium, quæ scilicet à gratia suppeditantur. Breuissime quidem sed accuratisime, & acutissime etiam rem omnem exposuit Augustinus (a) intelligunt, inquit, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt, quod agendum est, agant. & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur, ve agant, non, vt ipsi nihil agant. Non autem homo cooperatur gratiæ ad eum modum, vt sint distinctæ actiones Spiritus Sancti & hominis, sed vna eademque numero actio, quæ tamen nihilominus profiscatur à duabus causis subordinatis, non vero sociis, vt Bellarminus statut Lib. IV. de Grat. & L. A. Vbi Deum & Lib. Arb. ita influere docet; vt duo homines unum lapidem vel nauem trahunt. Præclare admodum hac de re docet Bernhardus in Tract. de Grat. & L. A. circa finem: quod à sola, inquit, gratia captum est, pariter ab utroque, gratia & Libero Arbitrio perficitur, ut mixtum non sigillatim, simul, non vici- sim, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula- ri opere indiuiduo peragant, totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in hoc, sc̄c totum ex illa.

(a) de Gratia C. II. cf. Eiusdem Soliloq. C. XXV. n. 1. 2. C. XV. n. 2. seqq.

Contra Pelagianos subtiliores, & pelagianizantes Iesuitas obseruanda in primis est distinctio gratiae adiuuantiæ, seu adiutorii gratiae, quæ in hac controuersia decidenda plurimum valeret, vt ne rima quidem elabendi aduersariis permittatur. Augustinus eam exhibit in scriptis suis, & quidem præcipue in Tract. de Grat. & L. A. initio statim: *Ipsa adiutoria*, inquit, dis-tinguenda sunt: *Aliud est adiutorium SINE QUO aliquid NON fit; aliud est adiutorium QUO aliquid fit.* Exempla quibus vtitur, ma-

xime perspicua sunt, & rem omnem declarant; *Nam sine alimen-*  
*tatu, pergit, non possumus vivere, nec tamen, cum adfuerint ali-*  
*menta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit.* Ergo adiutorium alimen-  
*torum est SINE QVO NON fit, non QVO fit, ut vivamq. At vero beatitu-*  
*do, quā homo non habet, cum data fuerit, continuo fit beatus: adiutoriū*  
*enim est non solum SINE QVO NON fit, verum etiam QVO fit, proper*  
*quod datur.* Quapropter hoc adiutorium & QVO fit, est & SINE QVO  
*NON fit. Adiutorium SINE QVO NON Libr. de Grat. & natura Cap.*  
*XLVIII. navi, pedibus, & luci comparat: Omnes autem causæ*  
*formales præbent adiutorium QVO. Hoc enim mox effectū se-*  
*quitur, cum adiutorium SINE QVO NON, ita statim effectū non*  
*inferat, e. g. Lux est adiutorium SINE QVO NON visus. Etsi enim*  
*Lux oculis præsto sit, non tamen ideo statim oculi vident: Vi-*  
*sio vero adiutorium QVO est, ut videamus. Fundamentum di-*  
*stinctionis huius facile intelligitur, si attendamus, quædam ita*  
*iuuare potentiam, ut illam hoc ipso, quo adiuuant, traducant*  
*in actum, ipsumque effectum producant: quædam vero ita se*  
*habent, ut potentia præparata, & roborata quidem adiuuetur,*  
*in ipsum actum tamen non traducatur. Enim vero cum illa*  
*adiutoria eiusdem ordinis sint cum potentia, propterea aliunde*  
*deductio in actum expectanda est. Hæc ideo fusi obser-*  
*vare placut, ne fraudulentio aduersariorum reti capiantur in-*  
*cauti. Illi enim gratiam quidem in ore habent, & scriptis*  
*quoque exprimunt, mente tamen illius nomine intelligunt adi-*  
*utoriū SINE QVO & adiutorium QVO vero, quod nos intelligi-*  
*mus, prorsus reiciunt: Adiutorium SINE QVO NON, adiutorium*  
*possibilitatis, adiutorium QVO, voluntatis & actionis Augustino ad-*  
*pellatur. Lib. de Grat. Christi C. III. & seqq. Videatur Iansenii*  
*us loc. cit. supra. §. XVI.*

Atque ita satis constat, quid sint *actiones Christianæ*, & quod  
*maxime diuersæ sint ab actionibus humanis*, proindeque etiam  
*longe præstantius atque sublimius habere principium.* Nunc  
*pauca quædam adhuc de Moralitate illarum, & de diuersis sta-*  
*tibus, in quibus exerceenda sunt, pro ratione instituti nostri*  
*erit*

erit dicendum. Propterea vero de *moralitate* hic agere visum est, quia non omnes debito modo illam explicitant. Præcipue Doctores Theologæ moralis apud pontificios intricate admundum de illa disputant, nec in hoc negotio recte quidem versantur. More philosophico de illa tantum agunt, & ultro Aristotelis placita non adscendentur. Quod ipsum sane haud dubie ideo faciunt, vt motus concupiscentiæ à moralitate excludant, utpote quos ad pura naturalia referunt.

## §. XVII.

Nos *moralitatem Christianam* describimus, conuenientiam *actionum ad regulam, que è Verbo Dei informataratio est*, seu iudicium Theologico-practicum, quod iure meritoque recta ratio appellari potest. Hæc vera & genuina norma est, nec alia potest allegari, cum adæquata prorsus sit normato. Quod vero attinet ad species *moralitatis in genere morum*, inter bonum & malum non datur tertium. Nam si quis obiicere velit, dari tamen adiaphora; respondemus illa non ad genus morum sed entium, seu *nature*, esse referenda.

## §. XVIII.

Ut vero clariora fiunr omnia, obseruandum, vocabula, *moralē*, *moraliter*, *moralitas* à *more* seu *moribus* ita dici, & quidem, quatenus de hominibus tantum vox ista usurpatur, tanquam agentibus liberis. Ubi enim non est agens liberum: ibi nec *moralitas*, quippe cuius fundamentum ratio & respectus seu ordo est inter actus agentium & inter Legem. Et cum in hominibus mores etiam notent inclinationes, nec non consuetudinem & actiones; istæ vero morum appellatio ne hic tantum aliis veniant, nobis tamen nec illæ quidem excluduntur. Quamuis enim actionibus opponi soleant, atamen in laxiori significatu, quia motus sunt, earum nomine simul comprehendendi possunt. Quum vero actiones nunc bona nunc mala sint, hic quoque iidem cum illis aut boni aut mali erunt. A *moribus* ergo aliquid *moralē* dicitur, non tamen quatenus forensi & ceremoniali opponitur, quoniam æque in forensibus & ceremonialibus inest *moralitas*; sed natura-

G

li

li & necessario, ut actiones quoque naturales, quae necessariae sunt, opponi solent *moralibus*; quanquam naturales, quantum à virtute ad bonum vel malum determinantur, etiam *mores* fieri possunt. Etsi enim *moralitas* actibus quibusdam non semper essentialis est, frequentissime tamen iis accidentalis esse solet. Sic edere & bibere actus hominis naturales sunt, accedere tamen iis *moralitas* dicto modo potest, ut aut virtutis aut vitii, atque adeo actiones *moraliter* bona vel malæ recte appellantur. Comestio fructuum arboris scientiæ boni & mali, in se nec bona nec mala erat, cum sicuti alii vesci licitum erat fructibus, ita & illis licuisset, nisi Lege intercedente prohibito interuenisset: quo modo actus ille *moraliter* malus factus est. Dormire, in se nec bonum nec malum est; recte tamen Christus discipulos propter intempestiuam dormitionem increpat Matth. XXVI, 40-45.

## §. XIX.

Usus harum vocum *moralis*, *moraliter*, *moralitas*, aut philosophicus aut<sup>t</sup> theologicus. Hic cum illo quadantenus conuenit, non tamen omni ex parte. Nam Philosophi quando actus liberos & voluntarios iuxta suam normam examinant, rationem & respectum illarum ad hanc, *moralitatem* appellant. Idem eodem modo Theologi quoque faciunt. At vero Philosophis *moralitatis* norma *rectaratio* est, sed Theologis *Voluntas Dei*. Quando actus conuenit, cum *voluntate Dei*, *moraliter* bonus est, si vero non conuenit, malus. Porro, apud Philosophos vulgo figmentum cordis humani in primis motibus, non censetur capax moralitatis, neque malitia neque bonitas illi ab ipsis tribuitur, sed ad naturalia tantum refertur. Contra ea Theologis cogitationes cordis naturales, prius quoque, vitii moralis accusantur. Omne enim figmentum cordis humani malum est à pueritia Gen. VIII, 21, Aristoteles è schola sua *morali* pueros remotos voluit, tanquam incapaces doctrinæ, cum vsum rationis nondum perfectum haberent. Theologia vero docet ulterius ex verbo Dei, omnes & singulos homines sine etatis discriminē & citra eius-

MO-

modi respectū humanum ad capacitatē illā doctrinā (quippe quam homo culpa sua amisit, adeoq; adhuc de dāmo teneatur) ad obseruationem praeceptorum *moralium*, esse obligatos, ita, vt infans quoque decalogo teneatur, quamvis nondum ipsi adsit proæresis. Philosophi enim vulgo actionibus proæreticis tantum *moralitatem* tribuunt, Theologi vero etiam actionib⁹ *ἀνεπιθύμητος* comīssis: Unde Dauid Ps. XIX, 13. delictorum etiam occultorum veniam à Deo expetit. Hoc nullus Philosophus quatenus talis unquam intellexit. Idque eo magis obseruandum est, quod Pontificii, vt paulo ante indicauimus, in Theologia moralim more philosophico de *moralitate actionum* loquantur, motusque concupiscentiæ excludant, ad classem purorum naturalium eos referentes: quibus e diametro contradicit Apostolus in Ep. ad Rom. VII, 7. concupiscentiam, inquiens, non novissim, nisi Lex dixisset, non concupisces.

## §. XX.

Moralitatem actionum Christianarum descripsimus per conuenientiam earundem cum ratione, quatenus ē verbo Dei vere informata est. Breuius dicere potuissimus, quod sit conuenientia cum recta ratione aut iudicio practico: sed cum ingens h̄c detur ambiguitas, ita vt recta, scilicet vulgo sic dista, ratio suis innixa principiis, naturalibus nempe, possit intelligi: illius evitandæ causa limitationem adiecimus, quatenus ē verbo Dei informata, & confirmata est. Notum est ex scriptis Philosophorum, bonitatem & malitiam communiter constitui in conuenientia actionis moralis cum recta ratione, & in discrepancia illius ab eadem: Qui per rectam rationem nihil aliud intelligunt, quam intellectum, principiis practicis imbutum, ipsumque adeo illius iudicium. Nos rectam rationem & iudicium intellectus practicum, non alio, quam quo diximus, modo, normam actionum constituimus.

## §. XXI.

Huic nostræ sententiæ nihil officit illa distinctione, qua moralitatis formam, aliam esse dicunt absolutam, aliam relati-

tiam. Hæc facit, vt actus aliquis vel bonus sit, vel malus. Nam sicut in theoreticis omne dogma vel verum vel falsum est, ita & in practicis quilibet actus vel bonus vel malus erit. Atque ista forma fundamentum est diuisionis, qua moralitas dispescitur in bonitatem & malitiam. Forma vero absolute requirit, vt actus moralis etiam voluntarius sit & liber, atque adeo declarat, qualis sit actus in se, & ratione potentie, à qua oritur; relativa vero designat, qualis sit actus, si ad aliud referatur, bonus scilicet, an malus. Hic iam quæritur, an & quo modo actionibus Christianis forma moralitatis absolute possit tribui, cum libertas voluntatis illis non competere videatur. Amiserunt namque homines per lapsum primorum patentum plenam libertatē in primis circa motus concupiscentiae, qui ad malum usque propensi sunt, ita ut regeniti quoque faciant, quod nolint. Rom. VII, 16. hoc est contra mandatum Legis concupiscant (quamvis si fieri posset, nollent concupiscere). Ad hæc actus regenitorum non à propriis humanae voluntatis viribus sunt, sed à causa supernaturali: Unde fructus Spiritus dicuntur.

## §. XXII.

Hæc arguere videntur, motus concupiscentiae ad genus moris pertinere non posse, neque dari libertatem actionum Christianarum in genere moris. Verum enim vero concedimus, amissam esse per lapsum humanæ voluntatis libertatem in spiritualibus: attamen si eum in statu reparacionis, et si inchoatae, spectemus, voluntas hominis libera est ad eligendum bonum spirituale iuxta Spiritum, seu vires à Spiritu Sancto concebras. Supernaturalis enim illa Spiritus Sancti virtus, à qua pendet Christiana actio, libertati non aduersatur, cum illi ipsi actus, qui in regenitibus oriuntur à principiis supernaturalibus, magis participant de libertate, quam qui elicuntur ex ipsa voluntate adhuc peccati serua seu captiuæ. Spiritus enim Sanctus est agens liberrimum, quod libertatis titulum non minuit, sed auget.

## §. XXIII.

Nihil itaque à nobis, quidquid actionis Christianæ nomine

mine venit, à moralitate eximitur. Quam late patet actio, tam late etiam ipsa se extendit moralitas. Ne inclinationes quidem, & habitus excludimus. Quod habitus attinet, non possumus sane facere cum illis, qui in genere moris eos considerandos esse nolunt. Cum enim habitualiter aliquis bonus aut malus esse possit, habitus etiam ad morum genus referendi sunt.

§. XXIV.

Cæterum quidam Nostrarium normam moralitatis bonitatisque actionum esse docent, voluntatem seu Legem Dei æternam. Atque hi quidem nobis non repugnant, minus tamen accurate rem explicare videntur. Lex enim illa Dei æterna respectu actus moralis aliquid externum est; & extra agentem constitutum: acti in moralibus ad interna sano sensu respiciendum. Quamobrem recta ratio magis norma potest constitui; sed illa norma aliam habebit normam, ipsam nempe Legem Dei æternam.

§. XXV.

Obseruandum ergo est, conuenientiam illam, quam diximus, non modo respicere obiectum actionum, sed ante omnia principium interius, Spiritum fidei & regenerationis, cumque hoc ipso finem eriam, & reliquas circumstantias. Contra quod Moralista Pontificiorum admodum impingunt. Potest namque ratione obiecti actus aliquis videri moraliter bonus, cum tamen ratione indolis vel circumstantiarum re vera malus sit. Habet quidem actio per obiectum suam speciem, illius tamen bonitas sola obiecti conuenientia non absolvitur. Et quanquam circumstantiae extra actus substantiam sunt, (vnde & nomine habent) ita tamen obiectum suum afficiunt, ut ad moralitatem eius quoque spectent. Longum foret omnes & singulas circumstantias euoluere. Nos tantum obseruamus, omnia requisita adesse debere, ut bona sit actio, materialia pariter, atque formalia. Secundum hæc requiritur, ut præter conuenientiam actionis cum Lege, etiam adfuerit potentia & intentio agendi\* Legi conformiter, hoc est, ut non ex ignorantia, aut alia de causa, sed ex spirituali proæredi ad obedientiam debitam Legi diuinæ præstandam, profecta sit;

G 3

Ad

Ad illa, materialia scilicet, pertinent circumstantiae omnes, quas Lex determinare solet v. gr. qualitas seu dispositio agentis, obiectum, locus, tempus & quidquid præterea ad actionem spectat, partim quatenus actio est, & quatenus moralis: quippe quæ materiale actionis absoluunt; cum formale sit ipsa actionis cum Lege conuenientia. Hinc actio materialiter bona, ob intentionem malam agentis, mala est; & contra actio materialiter mala, ob bonam intentionem agentis, nequaquam bona est. *Ad actionem bonam*, inquit Drexelius in Amussi sua Lib. I. C. VI. §. 1. non satis est, putare; illam esse bonam, necesse est, etiam ab his error & dolus. *Ad malam actionem* satis est, si pars eius unica sit mala. Addit vulgatissimum illud Diuī, (vt ipse loquitur) Dionysii: bonum constat ex integra causa, malum vero è quois defellit. *Ad bene ambulandum*, inquit Hieronymus, media tritaque via eundum est: bonum agere mala intentione, est nimium ad dextram flectere; male agere, bona intentione est nimium ad levam declinare. *Vtrum fiat*, subiicit Drexelius c. l. non multum curat diabolus, modo fiat alterutrum &c. vid. Rom. III, 8. Totus Traftatus citatæ amusis Drexelianæ huc pertinet, Operibus eius insertæ, ybi de intentione bona, omnibusque eius requisitis copiose agit.

\* Speneri Lauterkeit des Evangel. Christenthums P. II. p. 327-330. seqq.

### §. XXVI.

Quod supereft, ex Scriptura sacra etiam sententia nostra, quam de moralitate actionum Christianarum prolixe satis proposuimus, confirmando est. Præcipiuus Moralista Moles, postquam Legem populo Dei proposuerat, tandem ita concludit Deut. XXX, 19. Contestor hodie contra vos cælum & terram &c. huic iungatur Iesaias C. VIII, 20. addatur Matth. C. V, 16. C. XII, 33. Phil. IV, 8. 9. Ex quibus, vt ex aliis dictis hisce parallelis, manifestum est, doctrinam de moralitate hucusque traditam suum in Scriptura habere fundamentum.

### §. XXVII.

Nunc etiam aliquid de actionibus in ordine ad diuersos Sta-

Status dicendum erit. Omnia vitæ genera & gradus hic per tractare velle, nimis prolixum foret. Nam ratione ætatis, se xus, fortunæ, considerari possent Christiani, eorumque sic officia quoque seorsim expendi. Ita Iohannes in I. Ep. C. II. v.12. seqq. ætates omnes ordine compellat, vt ea, quæ partim iam scripserat, partim porro scripturus erat, omnibus salutaria esse demonstret, & omnes æque ad se pertinere intelligant. Atque tres quidem ætatis gradus constituit, vnum παιδιῶν, puerorum, alterum νεανίσκων, adolescentum seu iuvenum, tertium πατέρων, patroni seu seniorum, nec semel, sed iterato singulos affatur: quanquam præcipue ætates illas ad profectum in doctrina & pietate relatas volumus; inde tamen patet ordo horum statuum, ad quos Apostolus saltem respexisse dicendus est. Paulus equidem in Epist. ad Gal. dicit, non esse marem aut scemnam in Christo Iesu; illa tamen æqualitas Christiana, quoad inductionem Christi, in baptismo factam, non tollit in negotio renouationis, circa officia, & non nunquam circa perfectionis gradus, differentiam, i. Tim. II. n. 12. Sic de diuitibus & pauperibus, de honore & potentia magnis, pastim Scriptura discrimen constituit, diuersa aliqua illorum officia designans. Notus satis est locus Pauli i Tim. VI, 17. seqq. enim vero pluribus hinc ea persequi, propositi nostri non est, sufficere proinde nobis poterit, isthæc tantum tergisse. De Statibus autem Hierarchicis, vulgo ita dictis, adhuc aliquid notandum erit, & præcipue de Oeconomico, eiusque partibus singulis, quæ in illo continentur. De his enim in eadem hac Epistola, ex qua nostrum dictum *de principio actionum Christianarum* petitum est, expresse agit Apostolus, saluberrima præcepta inculcans, quæ totius vitæ usum Christianorum, in illis constitutorum, instruunt. Sed non nihil ante de statu Ecclesiastico & politico agamus.

## S. XXVIII.

In illo Doctores sunt, & auditores, siue docentes & discentes, utriusque Christiani, indeque actiones quoque illorum Christianæ, & in nomine Iesu peragendæ sunt. Doctores at-  
ten-

tendere debent sibi, & vniuerso gregi, in quo constituti sunt Episcopi à Spiritu Sancto, Act. XX, 16. qui Spiritus Christi est, docendo, redarguendo, corrigendo, & instituendo: 2. Tim. III, 16. tanquam ministri Christi, & dispensatores mysteriorum, adeoque etiam sacramentorum Dei. 1. Cor. VI, 1. collat. c. III, 5. 9. seqq. vt se ipsos saluos faciant. 1. Tim. III, 9. & qui eos audiunt 1. Tim. IV, 16. eodem prorsus modo, quo in V.T. Prophetæ, & initio Noui Fœderis A postoli, missi à Christo in universum orbem, vt in *Nomine eius* annuncient omnibus gentibus remissionem peccatorum, iustitiam & salutem æternam, docentes illas seruare omnia, quæcunque præceperat illis Christus Matth. XXVIII, 19. 20. conf. Mar. XVI, 20. & Matth. XVI, 9. Ez. III, 17. Ier. I. 7. 1. Cor. XI, 23. & exercentes sollicite curam pauperum Gall. II, 10. Act. XI, 29. Nam vti Doctores, ita quoque auditores omnia oportet agere *in Nomine Iesu*. Et quamvis alias late pateant illorum officia, quatenus tamen vt auditores, intuitu Doctorum suorum nunc considerantur, omnes illorum actiones, obsequii, honoris & amoris, Doctoribus præstandi, nomine comprehenduntur. Obsequium vero exhibere Doctoribus debent omnes omnino Christiani, cuiuscunque status fuerint & conditionis, Reges scilicet & Principes, omnesque illis subiecti Hebr. XIII, 17. idque in omnibus, quæ ad fidem & vitam Christianam pertinent. Sunt enim illi Legati Dei 1. Cor. IV, 21. & serui Christi 1. Cor. IV, 1. vigilantes, pro animabus auditorum, ad Hebr. I. cit. quin immo cum ipsis Christi hoc mandatum sit Luc. X, 16. *in Nomine Iesu* eam præstari obedientiam, minime dubium est. Honor siue pro adseetu reuerentia, siue pro illius signo accipiatur, uterque illis debetur, qui bene præfunt, inque verbo & doctrina laborant. Illo maxime colunt eos, si tanquam (vt vere sunt) Dei Legati suscipiantur, illisque dicto audientem aliquis se præbeat: Hic vero, latissime se diffundens, variis modis declarari potest. Et cum Christus ipse, quidquid honoris aut contumelie seruis suis tribuitur, sibi tributum perhibeat, apud Lucam. I, c. etiam actiones honoris exhibiti fient *in Nomine Iesu*

*Iesu.* Denique amore etiam prosequendi sunt Doctores Ecclesiae, & quidem singulari, ac maiori, quam qui aliis debentur I. Thes. V, 13. maxima enim beneficia, spiritualia nempe ab illis accipiunt. Ita amor autem sese exercere debet partim verbis, partim re ipsa Gal. VI, 6. preces ad Deum fundendo pro incolumitate & felici laborum successu, & augmento donorum spiritualium. Rom. XV, 30. Col. IV, 3. I. Thes. V, 25. §. XXIX.

Alter status Hierarchicus, Magistratus & subditos continet, quorum illi imperare, hi parere debent. Illi a Deo constituti sunt Rom. XIII, 1. seqq. ministri eius v. 4. ibidem, vicemque illius sustinentes in his terris Pf. LXXXII, 1. propter bonum Ecclesiae Deut. XVII, 18. 19. 20. Ies. XLIV, 28. C. XLIX, 23. & vniuersi generis humani, cuius utriusque salus ipsis suprema Lex esse debet Prou. VIII, 15. Ies. X, 1. seqq. C. XLV, 1. Ez. XXIX 20. Rom. XIII, 1. seqq. & quidem ad Dei gloriam, qui illos instituit I. c. v. 2. quippe qui propter se operatur omnia Prou. XVI, 4. Et quia Magistrati subditi esse iubentur homines διὰ τοῦ Κύρου I. Petr II, 12. in illius etiam Nomine Magistrati politico, quidquid illi muneras ac officiorum incumbit, faciendum est, omnesque adeo illius actiones peragendas sunt *in Nomine* Domini *Iesu*. Ex eodem hoc loco idem de subditorum actionibus aperte constat. Quidquid enim propter Dominum fit, id quoque *in Nomine eius* Omnia vero illorum officia, Magistrati praestanda, obsequio, honore & amore absoluuntur. Necessario Christiani obedire debent Magistratibus suis, iisque omnes, atque adeo & Clerici Rom. XIII, 1. I. Tim. II, 2. Tit. III, 1. I. Petr. II, 13. 19. non ob iram tantum, sed & conscientiam Rom. I. c. v. 5. nisi Magistratus peccare iubeant: quo casu Deo magis obediendum, quam hominibus A&t. V, 29. Honor & amor precibus se exerat, pro salute illorum conceptis I. Tim. II, 1. 2. tributis Rom. I. c. v. 7. mandato Christi pendendis, Matth. XXII, 21. atque haec omnia, vti diximus, quia propter Dominum, ergo *in Nomine Iesu*.

§. XXX. De statu Oeconomico, eiusque partibus solicitus quadrangularis agere videretur Apostolus, cum vbique fere in Epistolis suis de illis praecipiat, ideo haud dubje, quia hi status, & in illis officia & actiones non adeo omnibus curar esse, ac penitus fere negligi solent. Varia sunt coniugum officia, eaque partim generalia, partim specialia. Ad communia pertinet cura mutua redificationis 1. Cor. VII, 14, 16. Hebr. X, 24. & mutuumadiutorium, in omni vita, conditione & casu, nec non in castitate seruanda 1. Cor. VII, 2. seqq. in educatione liberorum, & in re familiari, quod solvere non licet, nisi commissio adulterio Marth. V, 32. C.XIX, 9. & malitiosa desertione, adulterio equiparanda 1. Cor. VII, 15. Specialia officia, & quidem mulierum primo in nostro loco exhibentur v, 18. subiectionis & obedientie nomine comprehensa, quæ marito tanquam capiti, & domino debetur, Eph. V, 22, 23, 24. ex amore & reverentia profecta Tit. II, 3, 5. exemplo Saræ 1. Petr. III, 6, 7. cf. Prou. XXXI, 10. usque ad finem, Sir. XXI, 1. seqq. Ex quibus locis secum collatis specialisima quoque apparebunt, ac in primis vite σεμνότης, cultus interioris hominis, plurimeque virtutes. Atque istius subiectionis eorumque omnium, que illam comitantur, aut sequuntur, aut alia quavis ratione cum illa connexa sunt, studiosa debet esse mulier, vt conueuit in Domino, hoc est, propter ordinacionem Dei, præcipue quod subiectionem attinet, quæ facta est ob transgressionem Gen. III, 16. Subiectionis ergo, inquit, Nicol. Hemmingius in Comment. suo ad h. I. pia faminae gratius Deo cultus sit, quando ipsa mandatum Dei de subiectione sui meditatur & ex fide in gloriam Dei, & in obsequium marii officium facit. Maritorum quoque officia in compendio proponuntur v, 19. & hoc textu consistunt in amore, ooque intensissimo & constantissimo erga coniuges Eph. V, 28, 29. Ex quo, licet regimen ipsis concessum sit, non tamen amarulenti esse debent erga mulieres, cit. v, 19. hoc est, illud regimen non despoticum sit, vel tyrranicum, sed prudens & moderatum, in spiritualibus placide erudiendo, & leniter redargendo vxores; in corporalibus & domesticalibus rebus prudenter dirigendo; errore & infirmitatibus cum mansuetudine corrigendo, nonnulla etiam patienter tolerando; vt cohæredibus vita eterna, & vasis infirmis, tribuenteshonorem pariter atque amorem. Et cum ille amor proprio æqualis esse debeat, ex hoc vero unusquisque sibi prospiciat, vique eiusdem illius amoris vxori debeat omnia; maritus ad prouisionem rerum necessiarium, ad viictum & amictum pertinentium quoque tenetur. Eph. V, 29. Exod. XXI, 10.

§. XXXI. Officia liberorum erga parentes in eo consistunt, vt illi his obedient in omnibus. Quæ obedientia promptitudinem animi & alacritatem in exequendis parentum iussis complectitur, partem honoris constituens, qui in IV. Decalogi præcepto exigitur. Qui valde hic sublimis est, multa in se continens, quippe cum simpliciter præcipiatur. In omnibus quando dicitur obediendum esse, hoc de rebus licitis & iussis est intelligendum. Quoniam vero Deus honoris & obsequii officia liberis iniunxit, eoque etiam dicitur ab

Apo-

Apostolo in nostro textu, Deo illa placere: arguimus, ea quoque esse actiones Christianas, quae fiant *In Nomine Iesu*. Contra parentum officia consistunt in educandis & nutriendis liberis ἐν παιδείᾳ & νυθεστά καρποῖς Eph. VI. 4. coniuncta cum iporum exemplo, sine quo parum proficiet institutio illa licet maxime sedula. Educatio vero liberalis sit oportet, & ingenua, non aspera, dura, morosa, quae facit, ut liberi ingenui animum despondeant, atque ita languidores quasi reddantur & socordes, nostro textu v. 21.

§. XXXII. In ultima parte status economici, seruorum & ancillarum mercenariorum officia cum liberorum officiis conuenient, eoque tanto magis opera illis danda est, ut omnia faciant libenter, non coacti & inuiti, sed *μετ' εὐνόιας* prompte & cum gaudio, neque ἐν ὀφθαλμοδύλειᾳ, ut hominibus placeant, sed Deo, mercedem expectantes ab illo. ibid. v. 22. 23. 24. cf. Eph. VI. 5. seqq. Quamuis enim seruorum opera viles & contentæ videantur actiones, quoniam tamen à Deo mandata, eique grata sunt & accepta, ideo etiam actionibus Christianorum sanctis accensentur, cum eiusdem sint principii, utpote quae sunt, aut fieri saltem debent *In Nomine Iesu*, & peculiarem à Christo mercedem promissam habeant. Patrum & matrum familias officia in equitate & aequalitate seruis ancillisque praestanda consistunt, non tantum in exigendis operis, sed & iustis præbendis C. IV. 1. cf. Leu. XX, 13. Iac. V. 4. Et cum serui, sicut ante dictum est, liberis assimilentur, patres & matres-familias simili quoque amore & cura eos complecti debent, ita ut tam animæ, quam corpori illa impendatur, idque ad Dei & Redemptoris omnium gloriam.

§. XXXIII. Antequam concludamus, quasi coronidis loco aliquid de gratiarum actione adiiciendum esse videtur, utpote quæ in eodem versu dicti nostri cum actionibus Christianis, *in Nomine Iesu* peragendis, connexa est, eti per se ipsa quoque distincta actio sit Christiana. Supra varias diuisiones actionum Christianarum proposuimus, precipue ratione Subiecti; diuidi tamen etiam ratione obiecti solent in eas, quæ vel circa Deum, vel circa hominem ipsum, vel circa alios homines instituenda sunt. Quam diuisionem Apostolus quoque indicat, docens, ut reiecta omni impietate vivamus temperanter, iuste & pie. Quo modo actiones Christianæ aptissime redigi possunt ad tres classes, quarum alia sunt actiones moderationis, σωφροσύνης, alia iustitiae, δικαιοσύνης, alia pietatis, ἐυσεβείας. De omnibus illis seorsim agere, instituti nostri ratio hanc patitur, quæ hos sibi prefixit terminos, ut de principio actionum Christianarum, quarumcunque generalius tractationem institueremus. De actionibus tamen pietatis hic obseruamus, eas duobus capitibus comprehendit: vt de Deo recte sentiamus, eundemque uti par est, colamus. Ad posterius gratiarum actio Deo exsoluenda pertinet; consistit enim in eiusmodi cultu Numinis, quo beneficia eorumque magnitudinem, & infinitam Dei gratiam in nos, atque amoris, unde profecta

fecta sunt illa, prolixo mentis affectu, perpetuo memores, maximis laudibus celebramus: non precibus tantum eucharisticis, sed psalmis & hymnis & cantilenis spiritualibus cum gratia, canentes non tam ore, quam in corde, Domino, nostro textu v. 26. Ideo autem vel maxime gratiarum actio cum actionibus in *Nomine Iesu* peragendis connexa esse videtur, quia hoc ipsum posse facere, omnem diuinæ gratiæ, nobis exhibita thesaurum, omniaque beneficia simul complectitur, ac præsupponit. Tum in usu quoque creaturarum, atque in omni successu & cunctu rerum & actionum, arctissime illa coniuncta est cum invocatione, vt cunque etiam res cadat, quæ in *Nomine Iesu* cepta est, vt præcipitur 1, Thess V, 17, 18. neque peracta tantum actione, illa opus est, sed etiam dum incipimus aliquid, cf. Drexelius in oper. p. m. 748. reg. 3. Ex invocatione sequitur benedictio, quæ materiam gratiarum actioni suppeditat, quæ effectus fidei est. Neque hæc ingrata esse potest Deo, cum vita hominis Christiani quoddam quasi perpetuum esse debeat sacrificium eucharisticum, quo gratias agendo, ei accepta ferimus omnia, nosque adeo totos, quidquid sumus, & possumus, ei offerimus. Præcipuum, immo unicum fere hoc videtur esse officium, quod præstare Deo possumus: idque nobis etiam perutile est. nam & hic verum est, quod & vulgo dicitur, licet in sensu eminentiori, gratiarum actio est ad plus dandum in uitatio Pl. L. 23. Qui vero non agunt Deo gratias, produnt, se non agnoscere, quod facti sint participes virium diuinarum, propriis adhuc nimium confisi; nec veram habere fidem, vt pote cum qua consiliter nullatenus potest ingratitudo. Quam ob rem Christiani non possunt non semper gratias agere Deo, tam in rebus adversis, quam in prosperis, & Patri tanquam fonti omnium bonorum, & ipsis Diuinitatis, non exclusis, Filio, & Spiritu Sancto. At vero creaturis non aliter, quam causis intermediis, ac inferuentibus tantum, quæ nihil à seipsis habent, sed omnia ab illo Patre, per illas ultimato referenda in Deum, & Patrem. Particula καὶ est διαστάθηκεν, indicans, illum Deum, à quo omne bonum prouenit, esse Patrem nostrum, qui nos in Christo dilexit. Per hunc autem tanquam mediatorem nostrum, atque adeo in *Nomine Domini Iesu*, fieri debet omnis gratiarum actio; sine quo non essent gratae Deo, quascunque etiam ex cogitate possemus grates. Atque ita per Christum ad Deum Patrem illæ mittuntur, sicuti per illum à Patre omnia accipimus. Ex quo inter alia οὐτρέγα actionis Christianæ, factæ in *Nomine Iesu*, atque adeo in Deo, hoc dari potest, si nimis mens hominis in tranquillitate ac pace, non reluctant consientia, vere posfit Deo a gere gratias. Iam uti incepimus has operas in *Nomine Iesu*, ita quoque in eodem *Nomine* illas finimus. Sit ei laus & gloria in aeternum una cum Patre & Spiritu Sancto, quibuscum unus Deus vivit & regnat per innumerabiles myriadas seculorum!

SIT IESU DOMINI BENEDICTUM  
IN SE CULA NOMEN!

Ad

## Auctorem dissertationis.

**N**eceſſe non eſt, *Amice dilectissime*, vt addam aliquid ſcripto tuo, quod elaboraſti ipſe; nedium litura opus fuit vlla in re, quam ibi iudicio noſtro ſubdididiſti. Tria autem p̄cipue ſunt, quaē ſub prima perleſtione obſeruaui; nec ingratum commilitonibus tuis fore ſpero, ſi com-  
muſicauerim.

Primum eſt, quod diligenter, & per Dei gratiam feliciter circumſpexiſti tanti argumenti *integrum ambīrum*, ne quid de-  
eſſet, quod ad ſatis faciendum conſientiae pertinet. In eius-  
modi enim traſtantis rebus, quaē tam arduae ſunt ac neceſſa-  
riae, & *intimos recessus voluntatis* noſtræ adſciunt, ſubducere oportet rationes omnes, quoad fieri potest, & circumferre  
oculos, ne quid moueamus, quod auferre non poſſumus.

Alterum eſt, quod *practica* tua omnia fideliter ſuperSTRU-  
xiſti fundamento *doctrinae*, ita vt vix deſignari poſſit Locus  
Theologicus, quem non in pertractione attigeris; ſponte id  
ſecum ferente tua materia. Vnum enim eſt propter alterum,  
& vtrumque ſic illud Vnum neceſſarium firmitiſſime conneſtit.  
Quia vero materia tua eſt *de agendis omnibus in nomine Iesu*: ideo  
praefuſget *doctrina credendorum de Christo*. Ita cum de nomine  
Domini IESV agitur, tanquam de principio πρὸ δέκατῳ, eoquē  
ſummo & catholicō: eadem opera illustratur articulus fidei de  
Christo, tanquam de rerum omnium creatarum principio, vt  
loqui ſolemus, ὑποστατικό. De quo eft initium euangeliū Ioan-  
nis: *in principio erat ὁ Λόγος*, & ὁ Λόγος eſt apud Deum, &  
Deus eſt ὁ Λόγος. Hic eft in principio apud Deum. *Omnia*  
per hunc facta ſunt, & ſine hoc factum eft nihil. Quid ergo  
eſt conuenientius, & cohaerentius, quam vt iſi nobis omni-  
bus *agendi principium*, qui iſi ipſe eft, per quem omnia primum  
fuerunt condita. Quid? quod Apoſtolum in ipsa tua ad Co-  
loſſenses epiftola ex eodem fonte omnia ſua deriuat. Praemit-  
tit enim hoc, tanquam fundamentum, quod Christus Redem-  
ptor noſter iſi primogenitus omnis creationis, in quo, & per quem, &  
propter

proper quasm, seu ad quem condita sunt omnia, & is sit ante omnia,  
 & per quem constent omnia, & (deinde porro) sit caput corporis  
 ecclesiae, principium (ἀρχὴ, etiam in eo, quod est) primogenitus  
 ex mortuis, ut euadat (hoc pacto) is in omnibus ipse πρωτεύων,  
 primatum (actu & efficacia ipsa meriti) gerens atque exercens.  
 c.I. v.15. sq. c.II. v. 9. 8. sq. Similem nexus commendant Salo-  
 monis proverbia c.VIII. toto, & Agur ibid. c.XXX.v.1-6. Jonas  
*Schlichting in commentario ad Eph. V, 20.* (qui locus tuo est paral-  
 lelus) agnoscit ex v.19. sacros scriptores saepe Deo Patri per  
 nomen Domini nostri Iesu Christi, *saepe etiam ipsi Iesu Christo*  
*directe gratias agere.* Sed statim addit consuetas suorum nega-  
 tiones, quod ista gratiarum actio non consistat in Christo, sed  
 tendat & referatur in Deum. (Patrem scilicet) Et in comment.  
*in tuum locum ad Coloss.* idem arripit locutionem (PER ipsum) qua  
 Dominus Iesus, & Deus ille Pater, sic opponatur, ut gratiarum  
 actio non terminetur in Christo, sed per Christum tendat & refe-  
 ratur ad Deum. Sed optarim stetisse coepitis Schlichtingum,  
 nec ita paulo post opposuisse ea, quæ Scriptura coniungit,  
 & fatente ipso commutat inuicem. Non confundimus  
 Deum Patrem cum Filio, nec Filium cum Deo Patre: distin-  
 gue etiam proponimus oeconomiam & subordinationem hu-  
 manae Christi naturae. At enim vero qui didicit ex Scriptu-  
 ris omnia ea, quae paulo ante inde hausimus, is quidem duel-  
 lere non ausit ab ipsa hypostasi Christi istam, quam vocat ille,  
 terminationem πρωτεύων nostræ. Quia Christus is est, ad quem  
 vel in quem (εἰς αὐτὸν Coloss. I, 16. 20.) omnia sunt condita &  
 reconciliata, ut non modo PER Christum credamus, sed IN  
 Christum etiam manente uno throno, ad quem dirigitur &  
 refertur coniunctum inuocatio nostra & gratiarum actio, *thronum*  
*Dei & Agni.* Apoc. XXII, 3. 1. conferantur loca Gal. I, 1.  
 10. 1. Cor. III, 23. u. 1. Thess. IV, 8. & NB. Ioh. XIV, 26. 17, 24.  
 2. Thesf. II, 16. 17. Exod. XXIII, 21. Matth. XXVIII, 19. 20. Ac  
 proinde, quod iam dicendum maxime, *negationes* istiusmodi  
*σύνταγμα* & proportionem, ipsius etiam *cultus Christiani*, gra-  
 visime afficiunt: id quod remittere vel hoc stimulo unum  
 quemque debet ad doctrinae de Christo examen accuriatius.

Ter-

Tertium, quod perlustranti mihi hanc tuam exercitacionem incidit in animum, est, quod de principio actionum Christianarum genuino scripturus, elegisti Dictum Scripturae classicum, quod *suauissimam* reddit materiam, quae vulgo multis edibus inuoluitur tenebrisque a carne & sanguine; & in suavitate tamen *puritatem* aduersus omnes abusus, in quos ruit orbis praesens, ad dextram ac sinistram, custodit quam sanctissime. Immo dixerim magna coram Deo fiducia, quod hoc nomine conciliari, si velimus, multa possint efficacius, quae absque hoc prolata, offensionibus maximis iisque pestilentissimis sunt obnoxia. *Principium* enim ita proponitur θεονως, ut tamen, quae κατ' ἄγων simul dicenda sunt aut intelligenda, firmissime inclusa censenda sint. *Nomine* enim *Domini Iesu* excluditur nomen nostrum, & omnis respectus *alienus*, quicunque ille fuerit. Quales remotiones Scriptura, cum de nomine *Iesu* agit, insinuat laepissime, vt i. Ioh. II. 12. 13. sq. V. 13. 21. 1. Cor. VI. 11. 13. X. 20. 31. 33. XI. 1-3. 20. 23. 29. XII. 3. 2. Cor. I. 17. 20. II. 17. V. 16. VI. 14. sq. 2. Tim. II. 19. sq. (Pf. XX. 8. 10. XLIV. 6. 7.) Hac ipsa in *antirhebi* exhibere toties Apocalypsin videoas eos, quorum nomina scripta sunt in libro vitae Agni, madati ab origine mundi; aliquos contra, qui vt emere possint hoc in seculo & vendere, bestiae de terra adsciscunt notam aut *nomen*, aut eius *nominis numerum*. c. XIII. v. 1. 6. 8. 10. 15. 17. 18. c. XIV. v. 1. 9. - II. 12. c. XV. v. 2. c. XVI. v. 3. 5.

Quis ergo tibi, Amice carissime, vertat vitio, quod θεον principii huius (extra controversiam, vt videtur posiri) tueris maseule, & propugnas contra detractiones huius, quo viuimus, seculi? Nemo non videt, quod scriperis absque omni contentio adfectu: sed debuisti vtique rem serio tractare, nec sufferre voluisti, vt frigide modo & inani sono *praesupponatur* principium hoc, cum magno interea impetu principia, ex hoc tuo fluentia, impugnentur.

Poteram ego heic de iis conqueri, qui in media luce euangelii a maioribus accepta clamant, *abnegationem sui ipsius nequaquam laudari posse*, tanquam *primum principium Christianismi*

mi practicum, quippe Christo iniuriosum, & oppositum; cum tamen ipsa Christianismi mentione Christus fundamentum ponatur, reiecto contrario; Matth. XVI, 24-16, nec abnegandum quid aut agendum urgeatur, quam in nomine Iesu; in quo ipso etiam nomine suo iussit Christus Saluator praedicare μετάνοιαν, & gratiam Luc. XI V, 47. Sed quia veritas clara est, egoque alio iam ostenderim tempore (in Epistola, quam dissertatione de odio poenitentiali subiunxi) quam suauiter conspiret respectus vterque, priuatius & positius: actum agere nolo. Inculcamus quotidie τὸ ὄρθοτροπὲν, etiam hoc in loco, ut nosti, secundum libros symbolicos p. 75. 79. 72. 84. 173. 320. 419-421. sq. 592. Defendimusque sincere ea, quae ad textum tuum suo tempore monuit Lutherus T. V. Altenb. f. 170. b. 139. T. IX. f. 680. b. 903. a. 1416. b. T. I. f. 416. b. Quod si tamen placuerit conferre similia ἐγκλήματα, iam olim disiecta: Vnus instar omnium euolui potest Varenius P. II. pro Andatio. p. 403-407.

Agamus omnes Deo & Patri gratias per hunc ipsum Dominum IESVM pro omnibus radiis lucis euangelicae, & pro concessis nobis facultate seruitia praefstandi Deo, non ex servorum mercenario animo, quia certe Deus nostra non indiget opera (Luc. XVII, 10. 13. 22) sed ex spontaneo obsequio, & ἀφόβως, in omnes dies vitae nostrae. (Luc. I, 74. 75.) Gratulemur nobis, quod Deus in Christo admittit vota & labores nostros, atque hos sibi non displicere in euangelio declarat. Tu, BARTHI, agnoscis, scio, grato animo, quae subfida luculenta hucusque studiis tuis impenderunt Maecenates maximi: quibus iam submissæ offerts fructus diuinæ in te collatae gratiae: & quis sit rerum tuarum cardo, quis ordo studii tui Theologici, quis animi habitus, publico edis specimine. Dabis operam, ut per omnes dies vitae tuae praefestes ingenue & absque fuso, quae tam potens lex libertatis verae per verbum plantauit, & Spiritus Christi eodem corroborauit in corde tuo. Τὰ πάντα ναὶ ἐν ΠΑΣΙ Χειρίσαις. Dabam Halae Magdeb. mens. Iulio A. M. DCC. VI.

P R A E S E S.

94 A 7388


58

WMT

Kelto

Hl. 59.





*Q. D. B. V.*  
 EXERCITATIO THEOLOGICO-MORALIS EXEGETICA  
 de  
**GENVINO**  
**PRINCIPIO**  
**ACTIONVM CHRI-**  
**STIANARVM**  
 Occasione Dicti Paulini ad Col. III. v. 17.  
 Q V A M  
 IN REGIA FRIDERICIANA ACADEMIA,  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, SERENISSIMO  
 PRINCIP E AC DOMINO  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
 PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
 CETERA, DVCATVS MAGDEBVRGICI GV-  
 BERNATORE,  
 P R A E S I D E  
**PAVLO ANTONIO,**  
 THEOL. DOCT. PROF. PVBL. ORD. ET CONSIST.  
 REG. IN DVC. MAGDEB. CONSIL.  
 FACVLATATIS SVAE h. t. DECANUS  
 Præceptore suo æternum venerando,  
 placido Eruditorum examini sifit  
 A. & R.  
**IOHANNES CHRISTIANVS BARTH,** Hall. Magd.  
 SS. Th. C.  
 A. D. ~~XXX~~. Iulii. MDCCVI.  
 H. L. Q. C.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
 Litteris Chr. HENCKELII, Acad. Tvnogr.

